MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80229-24

AUTHOR:

MEZGER, FRIEDRICH

TITLE:

DISPUTATIONUM PINDARICARUM PARS...

PLACE:

AUGUSTAE...

DATE:

1873

Master Negative #

91-80229-24

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Mezger, Friedrich,
...Disputationum Pindaricarum pars altera, Schmidtiana continens. Augustae Vindelicorum, typis Pfeifferianis, 1873.
36 p. 24 cm.

At head of title: Solemnia anniversaria in Gymnasio regio Augustano...rite celebranda...indicit Fridericus Mezger...

Volume of pamphlets

76255

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 13.5x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 9.12.91 INITIALS V.W.D.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

No. 3

SOLEMNIA ANNIVERSARIA

IN

GYMNASIO REGIO AUGUSTANO

AUGUSTANAE CONFESSIONI

ADDICTO

A. D. VIII. Id. SEXT. MDCCCLXXIII

RITE CELEBRANDA

RECTORIS ET COLLEGARUM NOMINE

INDICIT

FRIDERICUS MEZGER
GYMNASII PROFESSOR.

INEST DISPUTATIONUM PINDARICARUM PARS ALTERA, SCHMIDTIANA CONTINENS.

AUGUSTAE VINDELICORUM.
TYPIS PFEIFFERIANIS.
MDCCCLXXIII.

Disputationum Pindaricarum pars altera, Schmidtiana continens.

Abhinc undecim annos Leopoldus Schmidtius amplum et copiosum librum de Pindari vita et carminibus conscripsit,*) quo novam interpretandi poetae viam instituit: ad lyricorum enim poetarum carmina maximam vim habere et vitae aetatem et rerum statum atque conditionem, quibus animus poetae adeo moveatur atque commutetur, ut interdum difficile sit sibi persuadere varia cujusque carmina ab uno eodemque auctore profecta esse. Id in Goethium nostrum cadere neminem non concedere, de Pindaro dubitari. Neque tamen verisimile esse, poetas lyricos Graecos illa lege, quae totum genus lyricum teneat atque regat, exemtos fuisse. Atque reliquorum quidem pauciora carmina superesse, quam ut plane dignoscere possis, quomodo ars eorum paulatim aucta, sentiendi cogitandique ratio mutata sit; Pindari vero carminum tantam copiam ex omnibus vitae aetatibus usque ad nostra tempora fortunae favore conservatam esse, ut qui attento ea animo legat facile intelligere possit, a quibus initiis ad quantam praestantiam poeta progressus sit. Multum enim inter se singula carmina differre. Id omnes usque adhuc interpretes Pindari fugisse mirum non esse, quippe quum perversa quadum et obsoleta historiae tractandae ratione ducti et decepti in judicandis singulis rebus a rerum scriptoribus traditis aetatum modo et gentium rationem habere consueverint, non singulorum hominum, ingeniis et studiis usquequaque diversorum. Aliam igitur interpretationis rationem adhibendam esse.

Quamobrem Schmidtius narrata poetae vita singula carmina servato temporum quo quodque scriptum est ordine ita pertractat, ut doceat, prima carmina vitiis et erroribus tironis inexercitati libera non esse, paulatim crescere artem poetae, qui ab anno aetatis quadragesimo usque ad sexagesimum praestantissima illa carmina fecerit, quibus primum inter lyricos locum obtinuerit; postrema vero carmina, quae olympiadi LXXX et LXXXI attribuenda sint, languescente vi poetica senectutis indicia prodere, ab interpretibus prioribus non satis detecta. Tres igitur aetates distinguendas esse: adolescentis, florentis, senescentis poetae. Atque sua cuique aetati propria esse; nam et metrorum usu et

*) Pindars Leben und Dichtung, dargestellt von Leopold Schmidt. Bonn, bei Adolph Marcus. 1862. 8⁰. 532 S.

orationis genere et cogitandi sentiendique ratione multum eas inter se differre, ita quidem, ut haud magnae difficultatis sit judicare, ad quam quidque eorum carminum, de quorum origine et tempore veteres interpretes nihil tradiderint, aetatem referendum sit.

Id quum Schmidtius eruditione permagna instructus, praeditus summo mentis acumine, subtili artis poeticae judicio ornatus suavissimis verbis doceret, fieri potuit, ut libro illo ingentem hominum doctorum assensum excitaret. Atque Kayserus quidem, vir de Pindaro optime meritus, novam illam interpretationem poetae adeo comprobavit,*) ut Schmidtio maximae laudi vertendum esse diceret, quod primus docuisset, qua via ac ratione Pindari ars processisset et ad summum praestantiae fastigium escendisset; imo censet *ab illo libro novam omnino interpretandi Graecas literas rationem initium cepisse.* Karajanus vero etiam majoribus laudibus interpretem Bonnensem cumulat;**) vituperatis enim Furtwaenglerii***) halucinationibus more suo poetico ita fere pergit: „Si nos a Furtwaengleriano libro avertimus ad novissimum Schmidtii de Pindaro librum, nobis videmur post diuturnum iter per speluncarum obscuritates atque humores factum prodire in apertum campum, in claram et splendidam solis lucem; ille enim multa inania verba edit et metae incuriosus incerto pede huc illuc vagatur, hic *certa ac firma interpretandi ratione insignis* recta via procedit et sano atque imperturbato judicio usus ea persequitur, quae clara mente concepit.“ Singulorum vero carminum descriptiones tam admirabilem artem diligentiam curam referre dicit, ut exempla imitatione dignissima dici possint. Sive enim ea, quae multa primus detexerit aut melius interpretatus sit, sive rationem interpretandi ipsam spectes, omnia fere omnibus numeris absoluta esse, ut nemo inde ab hoc tempore Pindari interpres Schmidtii commentationes sine magno suo detrimento neglexerit. Similia alii viri docti, simulac liber Schmidtianus publici juris factus est, praedicaverunt. Quae quum ita sint, impudentis hominis videatur esse, si quis aliter judicat. Attamen ausus sum a ceterorum judicum concilio discedere, quippe qui non ignorem, quibus artibus Schmidtio contigerit, tantam legentium gratiam inire. Quidquod et ipse, cum primum in manus venit, admirans haesi in libro illo et mirabili orationis suavitate summa voluptate perfusus et multarum rerum novitate quam vehementissime permotus et delectatus arte, qua carminum singulorum argumenta, fabulas imprimis intextas, rettulit ad vitam fortunamque eorum, quorum in honorem carmen quodque scriptum est. Quid multa? Videbatur mihi sive singulas partes spectanti sive universam structuram et compositionem contemplanti liber Schmidtianus similitudinem quandam revocare magnifici aedificii quadrati, cui nihil deesset ad summam firmitatem et pulchritudinem. Omnia dilucida erant, perspicua omnia; nihil usquam dubii, nihil obscuri; imo ipsis rebus videbatur Schmidtius interfuisse, eloquentissimus testis atque interpres. In hoc uno haerebam, tot tamque eruditos et eos sagacissimos homines, qui ante Schmidtium vati Thebano operam dederant, nihil eorum invenisse, eos omnes operam atque oleum perdidisse. Jam cupidus ejus rei causam indagandi quaerebam, quibusnam fundamentis haec nova interpretatio niteretur, quibus ex fontibus novissimus interpres sapientiam suam hausisset. Eheu! quam gravem malae curiositatis poenam dedi! Vix enim extremis digitis attigeram artificiosum illud aedificium, vix perscrutandi causa unum lapidem de suo loco moveram, quum labi omnia coeperunt, labi et corruere. Imo evanuerunt subito speciosa illa simulacra somnii instar, somnia scilicet poetae, jucunda illa quidem visu atque auditu, quae veri similitudinem quandam prae se ferrent, sed re vera inania atque vana, quae firmo fundamento carerent. Ut mittam imaginem, postquam uno loco animadverti, interpretem Bonnensem, ut difficultates tolleret, ab optimis illis et fide dignissimis veteribus interpretibus ad mera commenta et inventa confugere, jam aliis quoque locis diffidere coepi, ut nihil pro certo haberem, nisi quod aut testium fide dignorum auctoritate firmatum esset aut verba poetae ipsa flagitarent. Quo factum est, ut libro Schmidtiano iterum atque iterum perlecto et examinato neque Karajano possim assentiri Schmidtio laudem *cautissimi interpretis* tribuenti neque Kaysero suadenti iis omnibus, qui in interiorem cum magno poeta familiaritatem intrare velint, ut ad Schmidtii lucubrationes quam maxime animos advertant. Imo, quicunque Pindarum qualis est cognoscere volunt, eos non possum non monere, ut *Schmidtium caveant*, qui etsi plurima sagacissime indagavit, multa melius quam priores intellexit, nonnullis carminibus explicandis eximia cum laude operam navavit, tamen saepissime incerta pro certis posuit. Nam et ingenio suo nimium fidens poetae potius quam interpretis munere fungitur et neglecto maximo et temporum et morum discrimine, quod inter nostrates et veteres interest, Pindarum non aliter interpretatur, ac si Goethium aut nostrorum poetarum aliquem explicaret. Ut rem paucis absolvam, *post Triclinium nemo in Pindaro interpretando neque audacius neque infelicius versatus est quam Leopoldus Schmidtius.*

Ne vero mendacia jactare videar, jam maximos Schmidtii errores enarrabo et ita refellam, ut simul perspici possit, *quam perversa et incerta interpretandi ratione ipse utatur.*

Atque primum quidem errat, quum veteres poetas lyricos ad normam nostratium revocat;

errat deinde, quum negat, omnia Pindari epinicia a primo usque ad ultimum eadem artis praecepta sequi et eandem sentiendi cogitandique rationem referre;

errat denique, quum tres statuit artis Pindaricae aetates.

Schmidtio non adversaremur, si isto libro nihil aliud docere vellet, quam ne veteres quidem poetas inde ab incunabulis quasi divino quodam spiritu afflatos summam artis suae praestantiam possedisse. Imo, nostrorum hominum similes ignorabant, discebant, conabantur, errabant, errores emendabant, ab inferioribus gradibus artis et sapientiae ad superiores escendebant. Sed hoc humanum est, non Pindaricum. Neque Schmidtius hoc dicere vult; putat potius, *iis quae supersunt* carminibus, quae usque adhuc ad unum omnia, etsi non

*) Eos 1864 p. 577—592.

**) Zeitschrift für österreichische Gymnasien. 1863. p. 19—41.

***) Wilh. Furtwaengler: „Die Siegesgesänge des Pindaros in einer Auswahl nach den wesentlichen Gesichtspunkten erklärt.“ Freiburg 1859.

singula quaeque omnibus vitiis libera sunt, hominum doctorum laude florebant, satis dilucide patefieri, quibus vitiis et erroribus adolescentulus Pindarus laboraverit, quam viam artis excolendae ingressus sit, quomodo paulatim a summa virilis aetatis praestantia ad senectutis infirmitatem delapsus sit. Atque plurima nimirum mala in primo omnium carmine, quod Pindarus vicenarius fecit, Pythio decimo dico, detexisse sibi videtur. In quo carmine, licet nonnulla invenias vestigia juventutis, tamen jam eadem poetae perfectio et praestantia apparet, quae in posterioribus carminibus. Non enim discipuli sunt ista rudimenta, sed artificia magistri spectata, quae diebus deorum festis cum magnifico apparatu instructa pro corona civium celebrarentur et canerentur. Si vero adolescentuli alios fuisse mores putas, alios viri adulti, si aliam de diis opinionem, aliud rei publicae administrandae consilium, non minus erras, Leopolde. Mitte Goethium, mitte Schillerum, mitte poetarum aevi nostri ingeniosorum errores juveniles; non iste quidem veterum mos erat. Audi Winkelmannium nostrum, haud levem rerum Graecarum existimatorem, cujus haec sunt verba: „Die Griechen in ihrer besten Zeit waren denkende Wesen, welche 20 und mehr Jahre schon gedacht hatten, ehe wir insgemein aus uns selbst zu denken anfangen, und die den Geist in seinem größten Feuer, von der Munterkeit des Körpers unterstützt, beschäftigten, welcher bei uns, bis er abnimmt, unedel genährt wird." Pueri enim imbuti deorum patriorum pietate, patriae amore, legum reverentia mores patrum referebant, exempla imitabantur. Quorum educatio quum ita institueretur, ut boni cives evaderent, multo maturius quam nos solemus idonei facti sunt, qui ad rem publicam accederent et legum institutorumque rei publicae vindices et tutores fierent. Nihil enim magis abhorrebat a consuetudine veterum Graecorum, quam illa effrenata singulorum licentia, qua quis communi salute neglecta mores a majoribus traditos contemnit, leges et instituta rei publicae violat, suo genio indulget. Pindari quidem et Aeschyli saeculum alios homines tulit. Sicut enim puerorum lascivia legum et patrum auctoritate luxuriare prohibebatur, ita cives ipsi se rei publicae submittebant. Neque libertate concessa ita utebantur, ut consilia instituendae vitae a ceteris separarent, neque honori aut laudi erat, id quod hoc saeculum fert, singularia quaedam appetere aut majora atque altiora quam ceteri cogitare. Quae regula adeo omnes tenebat, ut ne virtutum quidem eximiarum laudem singulis tribuere solerent, sed toti civitati. Quis enim est Marathoniae aetatis non prorsus ignarus, quin sciat, quam arcto vinculo singuli cives cum populo suo conjuncti fuerint? Quis est, quin meminerit illius praemii, quo Miltiades ob victoriam de Persis reportatam affectus sit? Nonne inde luce clarius apparet, non unius virtuti, sed omnium civium fortitudini victoriam deberi? Quid de Pausania dicam, cujus nomen ex tripode illo aureo exsculpendum curaverunt Graeci? Sed ne dicas, haec nihil ad rem, utpote quae non tam universi populi potestatem in singulorum mores indicent, quam libertatis cupiditatem et aemulationem, transeo ad tragoediam Graecorum, qua tamquam in speculo mores civitatis depingi nemo negat. Quodsi trium magnorum tragicorum fabulas inter se comparaveris, ex ea quae inter chorum et personas fabulae intercedit ratione cognoscere potes, quae quaque aetate populi universi et singulorum civium fuerit ratio et conjunctio. Atque in

Aeschyli quidem tragoediis chori tanta est auctoritas atque potestas, ut actionem ipsam reprimat. actores vero adeo non sui juris sint, ut quaecunque dicunt redoleant chori mores et sentiendi rationem, vel tum, cum repugnare et alienata a choro consilia sequi videntur. Quamobrem singulae personae quamquam et origine et conditione vitae ingenti spatio disjuncti videntur esse a civium humilitate, tamen re vera eodem cum illis statu retinentur, Miltiadis in illa tabula picta similes, qui etsi ut clarissimus dux primo loco ponitur, tamen nihil est nisi civis inter cives. Sophocles vero, cui Pindarus aetate paullo anteibat, dissoluta trilogia et represso choro suavem singularum partium concentum instituit, ita tamen, ut singulorum virtutes et proprietates emineant quidem, sed communi rei serviant, quum Euripides tragoedia ipsa, si dicere licet, dissoluta et chori auctoritate abjecta summam rerum singulis actoribus tribuat, quorum in libidine et arbitrio tota fabula versatur. Quam tragoediae mutationem si attento animo adspicis, jam habes rerum Atheniensium saeculo quinto ante Christum progressus et ruinam. Ut enim Marathonia aetate prae rei publicae auctoritate singulorum civium virtutes plane evanescebant, Periclea aetate reseratis carceribus singuli inter se aemulabantur, quis rem communem maxime augere et adjuvare posset, ita exorto denique bello Peloponnesiaco postposita rei publicae salute id quisque appetebat, quod cuique utilissimum et jucundissimum videbatur. Sed redeamus ad Pindarum, Aeschyli aequalem, cujus adolescentia in ea incidit tempora, quibus vel Athenis, qua in urbe ingens multorum hominum concursus et mobilis Jonum turba novandis rebus favebat, mores a majoribus traditi tantam vim exercebant, ut nemo impune audere posset a publica consuetudine discedere. Quanto magis id in Dorienses cadere putandum est, quorum animi adeo moribus institutisque majorum acquiescebant, ut ne vetusta quidem et obsoleta celeriter mutarent et emendarent? Quod quum ita sit, nonne idem de Pindaro statuendum erit, quem eo majore patrii moris amore a pueritia incensum atque inflammatum fuisse verisimile est, quod et illustri Aegidarum genti cognatus erat, et Apollinis Delphici, quo cum universi Graeci tum Dorienses gubernatore et rectore civitatium uti solebant, sacerdos et vates? Erras igitur, sagacissime interpres, vehementer erras, quod affirmas, poetarum nostratium more Pindarum, quum prima carmina, quae in publico canerentur, pangeret, incerto etiam pede vacillasse, incerta et imperfecta cecinisse. Abhorret ista sententia mirum quantum ab antiquorum more. Imo, ubi primum in publicum prodiit vicenarius poeta, et artem quam profitebatur totam tenebat et de deorum vi atque natura et de republica administranda et de vita instituenda jam idem sentiebat, quod sexagenarius senex. Semper idem erat, semper Pindarus, neque succumbens temporum gravissimorum impetui, neque negligens cursum rerum laudabiliter gestarum.

Id te fugisse, vir doctissime, eo magis miror, quod ipse identidem docuisti, quae sit Pindari sententia de hominum indole atque natura. Solet enim, si quem ob reportata victoriae praemia laudibus effert, non tam victorem ipsum praedicare, quam familiam, gentem, urbem ejus, in quibus antiquitus illa summarum virtutum indoles et facultas quasi insita latuerit, donec victorem laudatum gigneret, jucundissimum stirpis generosae florem.

Habet enim genus humanum aliquam agrorum frugiferorum similitudinem, qui interdum impetu quodam innato flores et fructus amplissimos ferunt, interdum intermittunt et quiescunt, ut novas vires colligant. Hanc Pindari esse de vita humana opinionem non uno loco prolatam nemo ignorat, qui aliquam poetae scientiam habet. Cujus opinionis si quaeris causam atque originem, non alia est quam vita ipsa: quibuscum enim poeta versabatur, gentiles, populares, aequales, ii omnes adeo nihil proprii, nihil novi, nihil insueti prae se ferebant, ut florum et fructuum ejusdem arboris instar alter alterius similis esset, etsi alter alterum amplitudine aut venustate superaret. Quid mirum, quod poeta ipse suorum similis non alia cogitabat, non alia pronuntiabat, quam ceteri, etsi venustiora omnia, omnia meliora, omnia excelsiora et augustiora reddebat, afflata et imbuta divino suo spiritu. Fuit enim ipse stirpis generosae generosissimus flos, simul indicans et referens praestantiam genti suae innatam, simul ornans gentem, cum primum singula folia idoneum tempus nacta expandebantur. Id vero evenit, quum poetae munere fungi et carmina in publico et diebus festis canenda facere coepit. Ab illo tempore fieri potuit, ut nova aliqua foliola in flore ipso usque eo inclusa surgerent, alia marcescerent atque deciderent, sed flos ipse idem manebat, donec dira manu abreptus est, vel ut abjecta imagine dicam, quod sentio, carmen Pythicum decimum et octavum, sive primum et postremum eorum, quae nobis servata sunt, vel si quis, quod non nego, in alio aliud vestigium aut adolescentiae aut senectutis detexerit, eundem artis sonum, eundem dicendi modum, eundem metrorum usum, eandem sentiendi et cogitandi rationem, eandem denique praestantiam ostendunt. Id vero Schmidtius negat. Quamobrem quoniam officium eum refutandi suscepimus, opera et labore supersedere non possumus, quin carminibus singulis diligentius inspectis doceamus, quanto vir doctissimus errore teneatur. Sed quod spatii exiguitate impedimur, quominus omnia carmina persequamur, satis sit ea tantum, quae Schmidtius primae Pindari aetati adscribit, breviter tractasse, quod et numerus eorum satis magnus est, ut inde Schmidtii ratio interpretandi cognosci possit, et ejus divisio trium aetatum statim corruat necesse est, si mihi contigerit probare, ea quae Schmidtius adolescentuli Pindari propria esse contendit, cum solito poetae more optime congruere.

Septem vero carmina (P. X, VI, XII, VII, Ol. X, XI, N. V) primae aetati poetae attribuenda esse censet, de quibus ita dicemus, ut refutatis Schmidtii erroribus verum poetae consilium enucleantes demonstrare studeamus, haec carmina eandem quam reliqua artem referre perfectam et vere Pindaricam. Ne tamen in idem vitium incidamus, quo Schmidtii liber laborat, ut in singulis odis explicandis easdem res iterum atque iterum repetentes legentium animos fatigemus et taedio afficiamus, jam ea, quae omnibus carminibus ab adolescentulo Pindaro profectis communia dicuntur esse, comprehendemus et paucis transigemus.

Quam incerta ea sint, quae Schmidtius primae aetati propria esse contendit, jam inde apparet, quod respiciens ad septem prima carmina *de familiaritate poetae cum victoribus* dicit, eum videri satis mature hospitio cum Aeginetis conjunctum fuisse.

Unde hausit hoc interpres? Unum usque eo Aeginetam praedicaverat poeta, Pytheam dico carmine Nemeaeo quinto, quod ad aetatis poetae annum tricesimum quintum referendum est. Quo enim tempore carmina N. VIII et IV cantata sint, non liquet. Alia vero de maturo Pindari cum Aeginetis, quibuscum postea saepissime versabatur, commercio tradita non sunt. Non minus incerta sunt, quae prodit de Agesidamo Locrensi victore Olympico. Atque hoc quidem loco consulto praetereo, quod Schmidtius affirmat, Pindarum rogatum, ut Olympicam victoriam laudaret, singulari quodam gaudio affectum esse, quamquam id ex carminibus Ol. X et XI elicere mihi non contigit. At quo fonte hausit Sch., poetam, quum Olympiae adfuisset, a victore invitatum esse, ut se domum suam in Italiam comitaretur? Adfuisse eum concedo; hoc enim docet Ol. X, 100; invitatum esse, nego. Nam Ol. XI, 16 hoc probari non potest; similis res est, atque Ol. VII, 13, VI 22 etc. Quod denique Sch. in universum de animo poetae victoribus propitio dicit, non primae modo aetatis carminibus proprium est, sed omnibus odis.

Transeo ad *religiones*. Atque haec duo indicia adolescentiae dicuntur esse, quod poeta victoriam reportatam magis ad deorum gratiam atque auxilium revocet quam ad virtutem victoris, neque tamen audeat uni alicui deo victoriam acceptam referre, sed numini divino in universum tribuat. Neutrum verum est. *Quanti* enim *laboris et studii* sit victorem renuntiari, satis docent loci P. X, 23 sq. *ὃς ἂν χερσὶν ἢ ποδῶν ἀρετᾷ κρατήσαις τὰ μέγιστ' ἀέθλων ἕλῃ τόλμᾳ τε καὶ σθένει* P. XII, 28: *εἰ δέ τις ὄλβος ἐν ἀνθρώποισιν, ἄνευ καμάτου οὐ φαίνεται.* Ol. XI, 4: *εἰ δὲ σὺν πόνῳ τις εὖ πράσσει, μελιγάρυες ὕμνοι τέλλεται.* Ol. X, 22 *ἄπονον δ' ἔλαβον χάρμα παῦροί τινες.* O. X, 60 sq. *τίς δὴ ποταίνιον ἔλαχε στέφανον χείρεσσι, ποσίν τε καὶ ἅρματι, ἔργῳ καθελών;* Ol. X, 91: *ὅταν καλὰ ἔρξαις ἀοιδᾶς ἄτερ, Ἀγησίδαμ', εἰς Ἀίδα σταθμὸν ἀνὴρ ἵκηται, κενεὰ πνεύσαις ἔπορε μόχθῳ βραχύ τι τερπνόν;* et *virtuti innatae* summa laus tribuitur non solum N. V, 40 sq., sed etiam P. X, 12 sq. Ab altera autem parte *deorum auxilium* in posterioribus quoque carminibus tot et tantis laudibus effertur, ut singula ejus rei testimonia afferre opus non sit. Neque minus abhorret a vero, quod Schmidtius illa aetate victoriam *non ad unum aliquem deum*, sed universe ad numen divinum ipsum revocari dicit. Quid? nonne Apollini Hippocleas victoriam debet? (P. 10, 10) nonne Minervae ope Perseus ad Hyperboreos venit? (P. X, 45.) nonne eadem virum fortem ex periculis eripuit? (P. XII, 18) quid dicis de Neptune (P. VI, 50), de Apolline (P. VII, 10)? Quin etiam, quae vestigia adolescentiae Schmidtius, cum priorem libri sui partem scriberet, indagasse sibi videbatur, ea ipse p. 420 sq. obliterare cogitur. Quamquam libenter concedo saepe ita de deorum ope dici, ut nomen dei adjuvantis taceatur; sed idem saepissime in omnibus carminibus fit, cf. e. gr. P. 9, 67. 8, 76 sq. O. 8, 14; 13, 104.

Aliud indicium adolescentiae Schmidtius ex iis hausit, quae Pindarus *de re publica administranda* variis locis dicit. Adolescentulos enim, quum ad rem publicam ipsam accedendi et in pulverem fori descendendi occasione destituti sint, solere illorum sententias et dicta recoquere, quibuscum vivant. Atque tantam vim in eos exercere consilia et opiniones

illorum, ut in verba magistrorum temere jurent. Hoc in Pindarum cadere et ipsum. Quum enim inter optimates Thebanorum viveret, ei persuasum fuisse, optimam rei publicae formam eam esse judicandam, ubi penes principes summa rerum esset, plebe obedire coacta. Quam opinionem eum indicare in Pythio decimo, quod mirum quantum distet a Pythio II, maturum corroborati et vitae vicissitudinibus edocti poetae judicium referente. Ad quae respondendum, quae jam supra admonuimus, Schmidtium mores antiquitatis penitus ignorare. Aliter certe locutus esset, si legum Atheniensium memor fuisset, secundum quas adolescentibus vicenariis in concionem populi intrare licuit. Multo enim maturius quam hodie veteres officia publica obire et rem publicam capessere solebant. Quodsi poeta in carmine Pythio X. optimatium consilia probat, non alienas opiniones sequitur, sed suam sententiam indicat. Neque ea repugnant, quae posterioribus temporibus de re publica dixit, quum ab optimatium partibus semper staret. Sed in verbis ejus interpretandis duae res observandae sunt: Nam non eadem res est, utrum apud gentiles aut amicos Thessalicos dicat, an apud Hieronem tyrannum potentissimum. Alterum vero non minoris momenti est: Quis est, quin sciat, quantam inter Graecos bella Medica et rerum et opinionum mutationem fecerint? Dorienses enim et Jones quum ante bellum cum Persis gestum admodum raro commercio inter se conjuncti essent, sibi invicem obtrectantes alteri alteros minus aeque et juste judicabant. Abhorrebant enim Doriensium animi ad principatum nobilissimarum gentium assuefacti ab Jonum populari civitate, novarum rerum cupidissima; his minime probabatur illorum fastidium et parcus liberalium artium cultus. At in commune periculum a Persis vocati quum in nobilissimis pugnis et virtutem et sanguinem commiscuissent, mutua admiratione affecti alteri alterorum virtutes non poterant non agnoscere. In quo cui non in mentem veniat similis Germanorum conditio, quorum septentrionales et meridionales gentes cum summo universae patriae damno per tot lustra iniquissima aemulatione et invidia distentae injustas invicem criminationes et accusationes jactabant, donec bellica tonitrua utrosque in campos Alsaticos ad communem patriam defendendam vocabant. Jam insignia illa eximiae fortitudinis virtutisque documenta ab utrisque edita eos aequiores et justiores aemulorum judices reddidit. Eandem autem vim in Graecos Medica bella exercebant. Quodsi Pindarus quoque post pugnam Plataeensem saniore et modestiore judicio utitur, id ad rerum publicarum mutationem, non ad aetatem poetae revocandum est.

Metrorum usu carmina primae aetati attributa minime a reliquis differunt. Adhibentur enim eadem duo illa metrorum genera, quibus Pindarus maxime delectabatur. Nam P. X, VI, VII, Ol. XI logaoedo-choriambico metro scripta sunt, P. XII. Ol. X. N. V. dactylo-epitritis continentur. Quibus summae artis et praestantiae laudem cum alii viri docti tribuerunt, tum ne Schmidtius quidem prorsus denegare ausus est, qui ipse fateri cogitur, rationem et artem metrorum omnino in P. X eandem esse quam in posterioribus carminibus, quamquam id adolescentiae indicium invenisse sibi videtur, quod longa arsis non dissolvatur. Nimirum argumentum carminis ipsum repugnabat solutionibus. Si vero idem

in P. XII suavem illam vicissitudinem trochaeorum et dactylorum se invicem excipientium, quae aliis carminibus tantam offundat gratiam, desiderat, jam Kayserus ei respondit,*) hanc ipsam metri rationem, qua Pindarus dorici generis regulam quam accuratissime servavisse videbatur Boeckhio,**) optime congruere cum argumento carminis; poetam enim, si res postulasset, non minus efficaces et graves rhythmos facere potuisse, quam quibus P. X et VI usus esset.

De lingua et oratione Schmidtius variis locis agit, quae postea in quaestionem vocabimus. Hoc loco id unum praemittendum est, quam maxime mirabile esse, quod Schmidtius ne verbo quidem *dialectum* Pindari tangit. Et tamen quis est, quin sciat, dialectum Pindari, ut Hermanni verbis utar,***) singulari quodam temperamento paene ex omnibus dialectis mixtum videri? fundamentum esse linguam epicam, sed e Dorica dialecto tantum adscivisse Pindarum, quantum et ad dictionis splendorem et ad numerorum commoditatem idoneum videretur, repudiantem illa, quae aut interioris essent aut vulgaris aut certis in locis usitati Dorismi? Id etsi non primus fecit, sed secutus alios, tamen ipse sibi suam dialectum creavit et postea in exemplis habitus est. Quod quum ita sit, si vera essent, quae Schmidtius halucinatur, nonne putes, sagacissimum illum interpretem quaedam detecturum fuisse, quae indicarent, dialectum illa prima poetae aetate sibi nondum constitisse, alia postea abjecta, alia adsumpta, alia mutata atque emendata esse? Nihil ejusmodi, nihil. Quid mirum? omnia quae legimus hodie carmina perfecti magistri sunt, non tironis. Scholam reliquerat, quum in templis deorum et in foro laudem victorum canere coepit. Quamobrem ne ea quidem, quae Schmidtius

de *imaginibus* a Pindaro adhibitis dicit, probari possunt. In duplicem autem errorem incidit. Contendit enim, iis potissimum locis, quibus artem suam nuperrime a magistris sibi traditam praedicet, poetae animum ad tantum ardorem evehi solere, ut imagines adhibeat. Tamen si varios locos imaginibus illustratos recensueris, invenies, Schmidtium nimium dicere: artem quidem suam illustrat poeta P. 10, 51 sq. 65. Ol. 11, 9. Ol. 10, 85 sq. 97. P. 6, 1 sq. 8, 10. N. 5, 1 — 3, 20 sq. 51, sed victorem P. 10, 28. N. 5, 6. amicitiam P. 10, 67. P. 6, 54. tibias P. 12, 26. victoris felicitatem P. 7, 21. Locrenses Ol. 11, 20 sq. solutionem pecuniae creditae Ol. 10, 97. artem gymnicam Ol. 10, 20. urbis excidium Ol. 10, 36. Posterioribus autem in carminibus et ipsis saepissime artem poeticam imaginibus adhibitis laudat, cf. e. gr. P. 1, 43. O. 2, 92. P. 2, 67. 9, 103. N. 3, 4, 76; 4, 2 sq. 35 etc. Quod deinde Sch. dicit, Pindarum adolescentulum imagines potissimum a navigatione, arte gymnica, interdum naturae miraculis petere, ne hoc quidem ita est. Ad navigationem quidem pertinet P. 10, 28, 51 sq. N. 5, 2, 51, ad rem gymnicam P. 10, 65. N. 5, 20, ad naturae potestates Ol. 11, 2. P. 6, 10. Ol. 10, 9 sq., sed ad opifices P. 10, 67. Ol. 10, 20.

*) l. l. p. 582.
**) de metr. Pind. p. 279.
***) de dialecto Pindari p. IV.

N. 5, 1. ad agriculturam P. 7, 21. P. 6, 1 sq. N. 5, 6. Ol. 10, 37. ad vitam belluarum Ol. 11, 9. P. 10, 53. P. 6, 54. Ol. 11, 20. N. 5, 21. ad vitam humanam Ol. 10, 86 sq. P. 6, 8. P. 12, 26. N. 5, 17. Inde apparet, imaginum usum illa poetae aetate multo latius patuisse quam Schmidtius censet, et suspiciones ejus illo errore nixas de studiis et sentiendi ratione adolescentuli Pindari ad irritum cadere.

Sed quae hucusque disputavi, minoris momenti sunt. Si enim interpreti novissimo credis, maxima indicia adolescentiae apparent in orationis habitu, narrandi ratione, compositione carminum, fabularum usu. Quamobrem fieri non potest, quin singula carmina deinceps diligenter exquiramus. Atque initium facimus a carmine

Pythio X.

Scriptum enim Ol. 69, 3 omnium Pindaricorum carminum quae supersunt vetustissimum est. Pindarum tum vicesimum annum egisse quum verisimile sit, Schmidtius pro suo de arte poetae judicio exspectat a priori, se notas quasdam adolescentiae detecturum esse, quamquam sperat, pessimos illos errores, quos Corinna ei etiamtum tironi opprobrio dedisse traditur, afore. Quod quaesivit, invenit. Nam praeter ea, quae supra de metro religionibus imaginibus disputavimus, reprehendit orationis habitum, ordinem sententiarum male cohaerentium, fabulae a rebus victoris alienissimae tractationem. Jam videamus, num operae pretium fecerit.

Atque de *sermone* quidem dicit, rudis et inexercitati scriptoris esse, quod carmen in parvas enunciationes quasi dissectum sit. Duobus tantum locis (v. 22—26 et v. 55—59) majorem verborum comprehensionem inveniri; cetera omnia constare ex brevibus enunciatis uno aut duobus versibus comprehensis, quae aut particulis *τέ, καί, γάρ* conjuncta sint, aut conjunctionibus prorsus careant. In quo Schmidtius vehementer errat. Nam non duobus tantum locis ampliore verborum ambitu utitur poeta, sed si verba ejus recte intelligis, versus 11—16 et ipsi uno tenore legendi sunt, id quod alio loco*) demonstrasse mihi videor; neque minus, si scholiis et Mommsenio fidem habes, vv. 69—72 in unum sunt complectendi. Enunciationes igitur eodem fere ambitu sunt, quo in aliis carminibus. In omnibus enim odis, quum res postulat, Pindari dicendi genus breve est et nervosum. Quam non differat oratio hujus carminis ab aliis, quae aut ad florentem aetatem aut ad ipsam senectutem poetae, ubi garrulitatis indicia potius exspectaveris, referenda sunt, jam videbis brevi comparatione paucorum carminum instituta.**) Carmen Pythium decimum 72 versus et 37 enunciationes continet, P. VIII (ultimum poetae) 100 versus et 45 enunciationes, Ol. IV, 28 v. et 14 en. J. VI 51 et 27, Ol. I 116 et 47, P. I 100 et 58, P. II 96 et 58. Neque minus falsa sunt, quae Sch. de conjunctione singularum enunciationum dixit. Nam particula *καί* in hoc carmine ad conjungenda enunciata, ne *semel* quidem utitur, nisi forte v. 15 *ἔθηκε καὶ* aut v. 59 *καὶ γάρ* huc trahis. Haec est tua diligentia, Leopolde! Particula *γάρ* bis

*) progr. Cur. Regnit. 1866. p. 4 sq. — **) Mommseniana editione utor.

utitur, *τέ* quater. Saepius conjungit voce *δέ* (sexies decies), sed eadem e. gr. in Pythio VIII vicies ter utitur, Ol. I vicies sexies, P. I vicies quinquies, P. II duodetricies. Novies non conjungitur, sed idem invenitur e. gr. P. VIII octies, Ol. IV quater, J. VI quinquies, Ol. I novies, P. I vicies semel, P. II duodecies. Quo jam evanuerunt criminationes, imo calumniae istae? Quas diluere quum minimi laboris fuerit, jam confidentius transeo ad refellendam alteram accusationem.

Improbas enim, vir doctissime, *structuram* quoque *et ordinem sententiarum* nec non singulas partes male inter se cohaerere contendis. Quid? num ignoras Pindarum solere carmina sua ita texere, ut interdum filum intermittat et ad aliam rem transeat, donec suo loco intermissum filum recipiat et rem absolvat? Interdum vero tenor et series sententiarum non poetae consilio, sed mali interpretis culpa interrumpitur, ut cum Schmidtius poetam splendidissimo exordio facto subito ad aliam rem transire putat. Non enim ita res se habet, ut v. 4 intermissa oratione novum initium capiat poeta interrogans: „Quid canam ad rem aptum? Sed Pytho me vocat etc.“ Imo res quam optime cohaerent. Nam *Ὀλβία Λακεδαίμων· μάκαιρα Θεσσαλία* (v. 1) non vocativus est, sed, id quod Schmidtius postea*) ipse scribit, nominativus. Per analogiam enim ita concluditur: Beata est Lacedaemon, quod Heraclidae ibi imperant; Heraclidae autem in Thessalia quoque imperant; quamobrem Thessalia et ipsa beata est. Poeta vero suo more ita loquitur, ut cum Lacedaemonis felicitate a nullo dubitata comparet similem Thessalorum felicem conditionem, quippe quibus eadem Heraclidarum stirps regia imperet. Jam vero non, ut Schmidtius putat, filum orationis abrumpitur, ut Thessalia universa laudata poeta interroget, quid hoc tempore carmini suo laudatorio aptissimum sit? hoc enim somniantis, non lyrici poetae esset. Imo, sive cum Hartungio *κατὰ καιρόν*, sive cum optimis codicibus *παρὰ καιρόν* legis, utique cum Heynio, id quod scholia quoque tuentur, post *τί* signo interrogationis distinguendum. Oratio enim ita procedit: Lacedaemonis et Thessaliae similis felicitas est. Quid? num quid praeter rem jacto? imo, veram esse laudem docet haec victoria Pythica Hippocleae in urbe Thessalica a principibus et regibus celebrata. Jam omnia quadrant. — Schmidtius autem alio quoque loco nexum sententiarum interruptum esse contendit: v. 51—54. Qui quamquam non ignorat, Pindari hanc esse consuetudinem, ut interdum salientis modo subito ad aliam rem diversissimam se convertat, (cf. Ol. 6, 22. P. 1, 58. P. 4, 247. P. 11, 38. N. 3, 26. N. 5, 16. N. 4, 33) tamen putat hoc loco id ferendum non esse duabus de causis. Nam aliis locis poetam certis quibusdam rationibus adduci, ut inchoatam rem abrumpat, hoc vero loco rem ad finem deductam esse. Ain tu? Quid? fabula ad finem perducta est? res igitur finita est; jamque ad aliam rem transeundi occasio datur. — Speciosior altera Schmidtii vituperatio hujus loci est, quum dicit puerilem tironis conditionem olere, quod cum laetitia quadam artem generis lyrici jactet, quam modo a magistris Apollodoro et Agathocle traditam acceperit. Quod ingeniosius quam verius detexisti,

*) p. 62 Anm. 2.

Leopolde! An alia res est Ol. 3, 8 sq. 9, 47 sq. 80 sq. Ol. 13, 93 sq. P. 1, 1 sq. 81 sq. P. IX, 77. N. 4, 33 sq., quibus omnibus locis de artis suae praeceptis poeta loquitur?

Quodsi, sententiarum progressus optimus est et poeta a puerilibus digressionibus liberatus, jam sperare possumus fore, ut nobis contingat illud denique crimen et ipsum diluere, quod Schmidtius *a narrandi et describendi ratione* petiit. Quamquam hac in re ipse de causa sua paene desperat. Confiteri enim coactus est, summam Pindari artem res ita describendi, ut quasi oculis spectantium subjiciantur, hoc decimo Pythio carmine non minus expressam esse quam ullo alio vel ad maturiorem aetatem pertinente. Unum interesse, quod quum in posterioribus carminibus hae splendidae descriptiones brevissimae sint et repentina quadam luce rebus offusa legentes delectent, in hoc carmine poeta ampliore et verbosiore narrandi et depingendi genere utatur. Id si verum esset, Schmidtius non mediocriter causam suam firmasset. Sed studio nova inveniendi abreptus a vero longe aberravit. Quo enim differt descriptio Persei in concilium Hyperboreorum intrantis (v. 31—36), ab illo Herculis ad Telamonem adventu, qui narratur J. 5, 35 sqq.? Aut quo felicitas hilaris Hyperboreorum, quae describitur v. 37—44, a laeta hominum in insula beatorum suavissimam vitam degentium conditione, quae narratur Ol. II, 66—83? Aut Persei capite Gorgonis anguifero ornati species et imago a Bellerophonte cum Amazonibus bellum gerente et Chimaeram atque Solymos interficiente Ol. XIII, 83—90? Plurimos ejusmodi locos addere possum; sed satis sit. Quicunque enim Pindarum evolverit, mox inveniet haec talia opprobria Schmidtium ex suo ingenio, non ex Pindari carminibus hausisse. Quod quum ita sit, eo magis laetor, quod vel Schmidtius concedit eam narrandi rationem Pindaro propriam, qua summa rerum breviter praemissa singula fusius ita tractat, ut postremo ad initium redeat oratio, jam adolescentulo Pindaro propriam fuisse. Quod in nostram causam convertimus.

In hoc tanto carminum consensu mirum esset, si homo doctissimus in iis rem acu tetigisset, quae de *fabula* scribit. Multa enim vitia juvenilia detexisse sibi videtur. Atque primum quidem censet fabulae neque argumentum neque descriptionem cum victoris conditione congruere; deinde non ea, quibus nostra tempora ad similitudinem quandam temporum mythicorum accedant, laudibus efferri, sed quibus differant doleri; tum poetam adolescentem nimis miraculis gaudere; denique poetam versu 54 magistrorum suorum praecepta recordantem palam profiteri, carminum epiniciorum eam esse legem, ut singula inter se parum cohaereant et poeta ab alio ad aliud transiliat. Quamobrem verisimile esse, Pindarum nondum suo judicio usum in hoc carmine priorum poetarum morem secutum esse postulantium quidem, ut fabulae quaedam intexerentur carminibus, sed negligenter eas cum reliquis partibus carminum conjungentium et non raro fortasse contendentium res mythicas humana conditione multo elatiores esse. Pindari vero maturiorem aetatem nacti ingenium primum revelasse intimam illam conjunctionem atque similitudinem humanae vitae cum heroum aetate. In quo Schmidtius tantum acervum perversitatum congessit atque cumulavit, ut difficile sit inventu, unde initium refutandi capiamus. Ne vero accu-

sandi et obtrectandi cupidi videamur esse, ante omnia concedimus, Pindarum, qua erat ingenii excelsitate et animi pietate, procul dubio nexum et cohaerentiam rerum divinarum et humanarum melius quam alios poetas perspexisse et carminibus prodidisse nobis et ipsis persuasum esse. Quae vero priorum poetarum lyricorum de fabulis intexendis lex atque regula fuerit, id cum alii ignorant, tum Schmidtius quantocunque est ingenio, quippe quum exempla ad comparandos poetas idonea temporum injuria nobis ablata sint. Id quidem jam supra demonstravisse nobis videmur, Pindarum versu 54 de magistrorum ratione nihil tradere. Ut deinde de miraculis pauca addamus, tantum abest, ut audeamus negare, Pindarum rebus divinis et mythicis quam maxime delectatum esse, ut eos Pindarum minime cognitum habere censeamus, qui hoc ejus studio et amore rerum mirabilium aliquomodo offenduntur. Ut enim v. 48 dicit *ἐμοὶ δὲ θαυμάσαι θεῶν τελεσάντων οὐδέν ποτε φαίνεται ἔμμεν ἄπιστον*, sic plurimis locis deorum infinitam esse potestatem praedicat: cf. e. gr. *ἦ θαυματὰ πολλά* Ol. 1, 28, *τελεῖ δὲ θεῶν δύναμις καὶ τὰν παρ' ὅρκον καὶ παρὰ ἐλπίδα κούφαν κτίσιν* Ol. 13, 83. Carmina vero ejus scatent miraculis, in quibus narrandis poeta tanta cum laetitia versatur, ut difficile sit intellectu, quid Schmidtium permoverit, ut dicat poetam hoc Persei cum Hyperboreis commercium narrantem solito magis laetatum esse. An quo differt haec narratio ab suavi illa fabula de Troicorum murorum exstructione, quae Ol. VIII. narratur? aut Jami ortu Ol. VI? aut Rhodiis Ol. VII? aut Herculis primo facinore forti N. I? Hoc quidem vix quisquam Schmidtio credat, adolescentulum poetam in fabulis narrandis majorem quam maturiore aetate amorem rerum mirabilium indicasse.

Num forte minus a vero aberrat vir doctissimus, quum dicit fabularum cum rebus ipsis conjungendarum rationem cum crescente aetate poetae mutatam esse, ita quidem, ut prima aetate quibus differant inter se, posteriore quibus similes sint doceat? Ne id quidem verum. Sed quum de hac re alio loco fusius disputaverim,*) brevis ero, summam rerum repetens: Ut in omnibus aliis carminibus, ita in hoc quoque summam hominum felicitatem poeta ita laudat, ut ostendat quidem, quam prope ad beatam deorum aut heroum conditionem accedat, sed silentio non praetereat, hominum statum atque naturam diis inferiorem esse. Quodsi poeta admonitus, ut Hippocleam Thessalum redeuntem Delphis lauro redimitum carmine praedicaret, magnifici apparatus recordabatur, quo principes Thessaliae epulas festas celebrare solebant, nonne fieri potuit, ut ejus memoriae occurreret beatitudo Hyperboreorum aeterna felicitate fruentium, saltatione fidibus tibiis coronis epulis gaudentium? Quid? quum laeta amicorum caterva Hippocleam periculoso et gravi certamine feliciter peracto ab Apolline corona laurea donatum reducem comitabatur in patriam urbem, tibiarum et fidium modis resonantem, sacrificia et epulas redolentem, nonne Persei debebat poeta recordari a Minerva gravissimis certaminibus et laboribus peractis in Hyperboreorum Apollinem celebrantium concilium introducti? Nonne quam maxime similis est utriusque conditio? Quid hic absonum, quid rerum statui non optime conveniens? Quamquam libenter

*) l. l. p. 18.

concedo, poetam victores ancipitis rerum humanarum sortis admonuisse. Nam et v. 20 deprecatur deorum invidiam et in fine fabulae Nemesin commemorat, ut adhortetur victores, ne se homines esse obliviscantur. At tamen bonam spem alit. Etsi enim praesens fortuna quam diu maneat incertum est, tamen hodierno die laeti frui possunt, Thoracis potentissimi principis, qui hanc comissationem in honorem victoris instituit, auxilio et opibus freti. Jam omnia optime cohaerent. Ut enim fabula ipsa rebus praesentibus convenit, ita commodissime cum reliquis carminis partibus conjuncta est. Praedicata enim Thessalia et Aleuadarum gente (v. 1—6) transit poeta ad laudandum victoris familiam, cui tot tantaque bona contigerant (v. 7—26), ut majorem felicitatem sors humana non ferat (v. 27—30); ad Hyperboreos enim, qui simili felicitate fruantur, sed a Nemesi liberi sint, nisi heroibus aditum non patere (31—50). Quamobrem laudando ultra progredi fas non esse (51—54); sed victorem tamen vere felicem praedicandum esse, quippe cui optatissima vita futura sit, praesertim cum ei tutela amici Thoracis securo subitanea fortunae mutatio metuenda non sit (55—66); illum enim fidelem esse amicum, sicut et fratres ejus magnanimitate et virtute praestent (67—72). Compositio igitur carminis haec est

6 (*πρ.*) + 20 (*ἀρχ.*) + 4 (*κατ.*) + 20 (*ὀμφ.*) + 4 (*μετ.*) + 12 (*σφρ.*) + 6 (*ἐξ.*).*)

Προοίμιον et *ἐξόδιον* Aleuadarum laudem continent, *ἀρχά* et *σφραγίς* (sive quod nostri musici dicunt introductio et finale), victoris gentem praedicant; in medio *ὀμφαλός* positus est, qui fabulam narrat; *κατατροπά* vero et *μετακατατροπά* eandem hanc sententiam illustrant, majorem quam quae Hippocleae contigerit felicitatem in humana vita frustra desiderari.

P. VI.

Hoc carmen Ol. 71, 3 h. e. octo annis post Pythium X scriptum est. Quamobrem Schmidtius non dubitat, quin ut nondum omnes errores juveniles superati sint atque emendati, ita boni progressus in arte poetica facti appareant. Videamus!

Xenocrates Agrigentinus, nobili Emmenidarum genere ortus, frater Theronis, victor renuntiatus erat; parta autem erat victoria a Thrasybulo filio, qui in certamine aurigae officio fungebatur. Pindarus igitur victoriam ita praedicat, ut simul pietatem filii erga patrem meritis laudibus efferat.

Atque exordio splendidissimo poeta audientes adhortatur, ut aures praebeant carmini suo nobilem Emmenidarum gentem laudanti, quae Delphis perennem hymnorum thesaurum possideat, unde laetis oculis Thrasybulus ad patrem redeat, recenti victoria ornatus (Str. 1

*) His siglis utor:
πρ. = *προοίμιον*, *ἀρχ.* = *ἀρχά*, *ἐπαρχ.* = *ἐπαρχά*, *κατ.* = *κατατροπά*, *ὀμφ.* = *ὀμφαλός*, *μετ.* = *μετακατατροπά*, *σφρ.* = *σφραγίς*, *ἐξ.* = *ἐξόδιον*.

et 2). Is vero quum Chironis praecepti memor sit, reverentia deorum insignis, non minore pietate erga patrem est, (Str. 3) similis Antilochi, juvenis nobilissimi, qui quum pro patris salute mortem occumbere non recusavisset, luculentum pietatis specimen et ipse dederat priscis temporibus (Str. 4 et 5). Thrasybulus autem patris et patrui virtutum aemulus divitiis prudenter utitur, juventutis flore non abutens, Musis deditus, et maxime Neptuno certaminibus curulibus faventi; nec non splendet comitate et humanitate in conviviis (Str. 6).

Connexus igitur sententiarum quam simplicissimus est; de singulis autem locis interpretandis lis adhuc sub judice versatur. Quare priusquam ad Schmidtium transeamus, pauca praemittenda sunt. Atque de primis quidem versibus Dissenius merito judicat, arva Veneris et arva Gratiarum diversas res esse; id Hartungius non debebat negare. Neque tamen Dissenii interpretationem probamus dicentis particulam *ἤ* pro sive accipiendam esse: „hoc enim carmen sive amatorium sive epinicium appellari; esse vero quodammodo utrumque." Immo poeta forma imperativa *ἀκούσατε* postulat, ut omnes sibi attentas aures praebeant, quippe quum semper aut amorem aut gloriam praedicet; gloriam vero tum, quum ad Delphos accedat; semper igitur praeclaras res laudet.

In iis quae sequuntur variat interpretatio verborum *ἑτοῖμος ὕμνων θησαυρός*, quae non cum scholiis et Boeckhio ad hoc carmen referenda esse inter omnes recentiores interpretes constat. Neque vero Tafelii aut Dissenii interpretatio placet. Recte enim Friederichsius et Schmidtius docent aerarium multorum carminum designari; quamquam Friederichsius in hoc videtur errare, quod de universa multitudine eorum carminum epiniciorum cogitat, quibus is locus, quo victoria parta sit, resonet. Id quidem verum esse non potest, quum Xenocrates ejusve majores nondum multis carminibus epiniciis Delphis praedicati sint. Quid multa? *ἑτοῖμος ὕμνων θησαυρός* tale aerarium est, unde quocunque tempore carmina demere possis. Ipsum vero aerarium non carminibus constat, sed rebus laudabiliter gestis, quae sicut haec victoria poetae largam materiam ad laudem Emmenidarum canendam praebent. Quae gaza aeterna et perennis est. Quamdiu enim locus ille, quo victoria parta est, immotus manet, tamdiu ei memoria victoriae et ipsa loco fixa inhaeret.

Sed alia super aliam difficultatem oritur in hoc pusillo carmine. Nam v. 14 neque *τυπτόμενοι* neque *τυπτόμενος*, quorum utrumque optimi codices tuentur, ferri potest; Boeckhio enim Friederichsius bene respondit de passivo sensu cogitari ideo non posse, quod non venti tundantur, sed glarea; tamen Friederichsius et ipse cum Tafelio et Mommsenio a vero aberrat contendens hoc loco mediam formam pro activa ut saepe a Pindaro adhiberi. Quod enim Mommsenius ad P. 1, 24 *φλὸξ κυλινδομένα* provocat, prorsus alia res est. Nam *κυλίνδεσθαι* jure quidem medio generi verbi adscribitur, quod ei et activa et passiva significatio inest; at formae *τύπτεσθαι* sola posterior inhaeret. Quidni *τυπτομένῳ* scribimus observato vetusto literarum Graecarum usu, quo vocales *ο* et *ω* eadem litera scribebantur?*) Neque opus est eam ob rem cum Etym. M. *χεράδι* in *χεράδει* mutare,

*) cf. Christ, über die älteste Textesüberlieferung des Pindar Philol. 25, 4.

quum genus masculinum forma adjectivi παμφόρῳ excusetur. Ita certe sensus optimus e verbis poetae elicitur: non venti eam gazam abripiunt in mare profundum una cum glarea (ventis) pulsata, quae cetera omnia secum provolvit.

Quae sequuntur Schmidtius bene interpretatus est: πρόσωπον enim non cum Boeckhio et aliis ad hunc hymnum referri potest; est potius Thrasybuli vultus, qui rediens Delphis oris splendore hilari sermonibus mortalium nunciabit victoriam communem patri et genti suae. Idem vir doctus recte νιν v. 19, a Mommsenio repudiatum, restituit. Nolim tamen id ad victoriam referre, sed ad Xenocratem ipsum. Oratio enim ita progreditur: Tu, Thrasybule, aeternam tibi Delphis gloriam paravisti. Laeto enim oris splendore indicas, te curru vicisse et patri gentique novum decus addidisse; idem doces, quum patrem a dextra stantem in societatem currus triumphalis recepisti eique victoriae honorem concessisti, quanta in te sit pietas, Chironis praeceptorum memor et Antilochi viri fortissimi similis, qui quondam ne morte quidem occumbere dubitavit, ut patris vitam defenderet.

V. 40 denique omnes difficultates tolluntur, si primum id tenemus, ὁπλοτέρους eos appellari, qui ob virtutis et roboris vim atque florem magna et fortia facta edere possunt; deinde genitivum τῶν πάλαι respondere genitivo τῶν νῦν; denique dativum γενεᾷ homerico usu (Jl. 2, 707. 9, 58) cum ὁπλοτέροις conjungendum esse. Ὁπλοτέροις vero non, ut Heimsoethio videtur, ab v. ὕπατος pendet, sed referendum est ad ἐδόκησεν ita, ut ii, qui cum Antilocho comparantur, ipsi de virtute ejus sententiam dicant. Ab v. ὕπατος genitivus τῶν πάλαι pendet, ut τῶν νῦν a v. μάλιστα: „Veterum primus pietate erga parentes videbatur Antilochus esse iis, qui aetate florebant; recentiorum maxime Thrasybulus patris legem observat et patrui exemplum sequitur.“ Cur autem judices sunt ii, qui aetate florent? Nimirum, ut laus Antilochi cumuletur, cui vel aequales et aemuli virtutis palmam tribuere cogantur.

Jam singulis locis difficilioribus pertractatis ad Schmidtium transeamus, longe aliter de hoc hymno judicantem atque Rauchensteinius, qui carmen suavissimum esse censet, aut Heimsoethius, qui „non meminit dulcius carmen legisse, nisi inter Pindarica.“ Qui haec et similia aliorum judicia legerit, non poterit non mirari ea, quae Schmidtius profert. Censet enim, si poetam duodetricesimum aetatis annum agentem cum vicenario comparaveris, aliquot quidem artis incrementa detegi posse, complura tamen juventutis vestigia remansisse. Atque id quidem poetam melius quam in priore carmine instituisse, ut victoriam non jam generatim atque universe praedicet, sed pietatis erga patrem specimen et documentum esse doceat; in eo peccasse Pindarum, quod Thrasybuli leve et exile aurigationis officium cum fortissimo et periculoso Antilochi facinore comparaverit. Neutrum verum est; Schmidtius injuste laudat, injuste vituperat. An poeta cum carmina Ol. I, III, VII alia scriberet, de eo artis fastigio, quod jam ascenderat, iterum delapsus est, quum in illis carminibus victoria in universum laudetur? Imo, Thrasybuli pietatem laudari non artis est majoris, sed ad victoris conditionem et statum referendum est, quippe qui victoriam reportaverit quidem, sed patrem victorem renuntiari jusserit. Quod vero Schmidtius ridiculum esse dicit Thrasybulum ideo cum Antilocho comparari, quod „eadem qua pater equos moderandi ratione“ usus sit, caveat, ne ipse ista sua interpretatione risum legentium excitet. Verba enim v. 44 τῶν νῦν δὲ καὶ Θρασύβουλος πατρῴαν μάλιστα πρὸς στάθμαν ἔβα minime ad rationem patris equos moderandi, sed ad summam omnino patris et patrui virtutem pertinere, docent verba v. 46 πάτρῳ τ᾽ ἐπερχόμενος ἀγλαΐαν ἅπασαν. Xenocrates autem et Thero, Thrasybuli pater et patruus, clarissimi viri erant et suo jure non a Pindaro solo laudati; quid quod Theroni mortuo a civibus gratissimis vel heroum honores concessi sunt. Ceterum comparationem Thrasybuli aurigae munere pro patre fungentis cum Antilocho patrem cum capitis periculo defendente non prorsus absonam esse, is facile fatebitur, qui memoria tenet, quae poeta plurimis locis de laboribus et *periculis* certaminum curulium dicit (cf. P. 5, 32—34. 49—53.)

Sed Schmidtio non solum *fabula ipsa* carmini intexta displicet, sed etiam *cum reliquo carmine male cohaerere* videtur. Narratas enim res mythicas adeo non congruere cum rebus humanis, ut poeta ipse identidem (v. 28, 40, 43) velut consulto differentiam temporum indicet. Id juvenilis poetae esse indicium, quippe quum Pindarus aetate provectior fabulis docere soleat, quam arcte illa tempora cum his cohaereant. Id si Schmidtius de aliis quibusdam carminibus et iis quidem ad maturiorem poetae aetatem pertinentibus dixisset, fortasse assentiri possemus; in hoc certe carmen ista accusatio non cadit. Mira enim quadam vi et dexteritate hoc ipso carmine Pindarus demonstrat, quamvis ingenti spatio haec tempora ab heroibus disjuncta sint, tamen utrorumque eandem esse rationem, easdem leges, easdem virtutes. Chironis enim illud praeceptum Achilli traditum, ab Antilocho observatum Thrasybulum et ipsum tenet. Eaedem laudes, quibus ob officium patri periclitanti praestitum aequales filium Nestoris extulerunt, hoc ipso tempore a sociis filio Xenocratis tribuuntur. Mittamus igitur haec; videamus potius, num veriora sint, quae Schmidtius de *oratione et narrandi genere* dicit. Oratio, inquit, fabulae jejuna est, narratio languida et frigida, neque commodam et dulcem epici poetae ubertatem prae se ferens neque lyrici ingeniosam audaciam et vim. Itane? Vix crediderim, idque eo minus, quod criticus ille importunissimus ipse fateri cogitur, in ceteris carminis partibus poetam jam eadem qua maturiore aetate dicendi ratione uti, eodem ambitu et circuitu verborum, narrandi genere eodem laeto et vivido. Atque eo magis viro docto obloquor, quod in carmine Pythico X interpretando contrarium dixit. Ibi enim fabulam summa praestantia et venustate narratam esse censet, hic ceteras carminis partes. Id ipsum debebat Schmidtium docere, se nimio novandarum rerum amore deceptum utrumque carmen male interpretatum esse. Pindarus enim, qui in carmine P. X fabulam praestantissimo ornatu induit, fabulam de Antilochi morte intextam et ipsam uberrime narrare poterat. Idem vero, qui ceteris hujus carminis partibus tantam dulcedinem et suavitatem offudit, si voluisset, idem facere potuit in carmine Pythio X. Quodsi aliam viam ingressus est, suo certe id jure fecit. Neque difficile est detectu, cur narrationem ita instituerit. Primis enim et postremis versibus carminis P. VI tantus calor inest, quod intima familiaritate cum Thrasybulo

conjunctus victoria ejus solito magis delectabatur; contra in carmine P. X mythicae parti eximiam operam dedit, quod ad magnificentiam et splendorem conviviorum, quibus Thessalici principes imprimis laetabantur, proxime accedebat descriptio illa beatae Hyperboreorum vitae. Ceterum omnino Schmidtio ne id quidem concedere possumus, fabulae narrationem jejunam et frigidam esse. Ipsa enim illa narrandi simplicitas, qua repudiato verborum magnificorum fuco atque ornatu poeta raptim Paridis impetum, Nestoris periculum, Antilochi auxilium ob oculos ponit, animos audientium non poterat non mirum quantum movere. Quae quum ita sint, id quoque Schmidtius crimen injuste videtur objecisse poetae, tamquam habitus et color carminis secum non congrueret. Immo totum carmen suavissimum et luculentum documentum esse censemus, Pindarum nondum tricenarium artem dicendi et narrandi jam adeo tenuisse, ut animos audientium quoquo vellet verteret.

Ut rem absolvam, schema carminis addam:

4 (πϱ.) + 9½ (ἀϱχ.) + 4½ (κατ.) + (9 + 12 + 3) (ὀμφ.) + 4 (μετ.) + 8 (σφϱ.)

Ἀϱχά et *σφϱαγίς* sibi respondent, illa victoriam, haec victorem ipsum laudat; *κατατϱοπά* et *μετακατατϱοπά* in laudanda gente victoris versantur; *ὀμφαλός* in medio positus fabulam continet, ita quidem, ut tripartita divisio sit, primum enim praeceptum Chironis traditur, tum fabula ipsa narratur, laude denique Antilochi praeceptum illud periculo illato observantis concluditur.

P. XII.

Eodem anno, quo Xenocrates, quem carmen P. VI laudat, curuli victoria potitus est, Midas Agrigentinus, qui carmine P. XII laudibus extollitur, tibia vicit. Id carmen adeo Pindari artem et naturam prae se fert, ut vel Schmidtio magnum laborem excitaverit conanti vestigia aliquot adolescentis inexercitati detegere. Quid quod iis quae profert ne ipse quidem plenam fidem habere videtur? Atque *orationem* quidem concedit leni et solito cursu defluere, hoc tamen infirmitatem et dubitationem quandam adolescentuli prodere censet, quod anxio quodam studio singulas enunciationes una cum singulis versibus finiendi et concludendi teneatur. Quam rem aliter se habere is facile intelliget, qui hoc carmen cum aliis corroboratae aetatis odis comparaverit. Continet enim carmen*) P. XII 32 versus et 18 disctinctiones in fine versus, O. IV 28 versus et 14 d. i. f. v. P. I 100 v. et 53 d. i. f. v. O. I 116 et 53 O. II 100 et 41 P. II 96 et 47 P. III 115 et 54 O. VI 105 et 48 P. IX 125 et 56 P. IV 299 et 139 P. XI 64 et 31.

Imo male Schmidtio accidit, quod poeta in hoc ipso carmine adeo non studet orationi et versus eundem finem facere, ut haec oda primum nobis exemplum praebeat illius moris, quem nemo Pindaricae artis gnarus non novit, ut subjectum non solum ad

*) Mommseniana editione nitor.

finem totius enunciationis, verum saepe ad initium sequentis strophae removeat. Conferas, quaeso, v. 17 *υἱὸς Δανάας* cum O. X 34 *Μολίονες ὑπεϱφίαλοι* O. X 55 *χϱόνος* J. 5, 35 *Ἡϱακλέης* aliis locis. Non minus *narrandi genus* cum usitato Pindari more congruit. Tamen acumini Schmidtii contigit, ut vel ex hoc carmine tamquam ex armario telum ad defendendam suam de Pindari arte opinionem sumat. Deceptus enim illo errore, quo putavit in priore carmine fabulam ita narratam esse, ut ostendatur, quantum res mythicae ab humanis differant, suspicatur mytho de Persei rebus gestis indicari, quantum intersit inter filium deorum et homines miseros. Homines enim nisi maximis laboribus exantlatis ad felicem vitae conditionem pervenire non posse, illum tutante et auxiliante Minerva facillime ad summum beatitudinis gradum escendisse. Ego vero pace Schmidtii ipsum contrarium affirmaverim, fabulam scilicet luculentissime docere, quanti laboris Perseo fuerit Medusam interficere. Ipsa illa verba v. 18 *ἐπεὶ ἐκ τούτων φίλον ἄνδϱα πόνων ἐϱϱύσατο* Schmidtium erroris gravissimi arguunt. Nam nisi divino auxilio Perseus adjutus esset, victoria omnino non esset potitus. Quin haec ipsa sententia est vinculum, quo v. 28—32 cum reliquo carmine cohaerent: ut enim Minerva Persei labores finivit, ita *δαίμων* laboribus Midae finem imposuit. Sententiarum igitur ordo hic est: „Laudata Agrigenti dea et orata, ut benevola excipiat redeuntem victorem, narratur, unde ars illa, qua Midas vicit, originem ceperit. Cum enim Perseus Medusam interfecisset, Minerva sororum luctum imitata modum illum multorum capitum (*κεφαλᾶν πολλᾶν νόμον* v. 23) invenit, qui colebatur in Boeotia et inter certamina ludicra receptus est. Jam additur *σφϱαγίς*, qua carmen ita ad victorem redire solet, ut narratae fabulae doctrina in usum victoris et laudem convertatur. Auditis enim gravibus laboribus Persei mirari nemo potuit, quod victor et ipse, priusquam ad hanc felicitatem perveniret, diu et graviter laborare coactus erat. Jam hac victoria reportata deus finem laboris fecit; nam fati potentia insuperabilis est. Quamobrem ne desperes, te quoque aliquando ex inopinato et praeter spem votorum tuorum damnatum iri, etsi non omnia uno eodemque tempore tibi contingunt.“ Hic sensus efficitur, si v. 31 *τίν* pro dativo = *σοί* accipis. Scholiasta quidem ita interpretatur, ut videas, eum de uno Mida cogitasse; dicit enim *ἀλλ' ἔστιν οὗτος ὁ χϱόνος, ὅστις καὶ τὰ ἐν ἀνελπιστίᾳ καταστήσας τὸ ἀνάπαλιν τῆς γνώμης καὶ ἐλπίδος, τὸ μὲν δώσει ὅπεϱ οὐκ ἤλπιζε, τὸ δέ οὐ δώσει ὅπεϱ πϱοσεδόκησε.* Ceterum major vis ita additur conclusioni carminis.

In scholiis haec postrema verba ad infelciem quendam casum victoris supremam fistulam in ipso certamine frangentis revocantur. Id num verum sit necne, nihil ad rem; versus enim ultimi ipsi per se optimum sensum praebent, si mente tenemus, quanti labores certamina obeuntibus tolerandi fuerint. Quam rem idcirco tetigi, quod Schmidtius hac occasione data utitur, ut Pindaro praecipiat, quomodo tali casu utendum fuerit. Scribit enim suo more p. 76 istum casum, si vere accidisset, in medio carmine ponendum fuisse. Id tamen recte monet, quum Midas bis Delphis vicerit, hanc odam ad priorem victoriam referendam esse, quod poeta alioquin v. 6 aut *δὶς νικάσαντα* aut *νικῶντα* scripsisset; addo, v. *σάμεϱον* v. 29 scribi non potuisse, si una jam victoria ei contigisset.

Descriptio carminis haec est:

5 (ἀρχ.) + 3 (κατ.) + 16 (ὀμφ.) + 3 (μετακ.) + 5 (σφρ.).

Ἀρχά et σφραγίς ad victorem pertinent, κατατροπά et μετακατατροπά prior victoriam, posterior victoriae instrumentum, ὀμφαλός in medio carmine positus fabulam continet.

P. VII.

Carmina non cubitis metienda esse, docet haec oda cum minimi ambitus tum summae artis, scripta Megacli Atheniensi, qui Ol. 72, 3 curru Delphis vicerat.

Praemittitur laus patriae victoris; totius enim Graeciae nulla urbs clarior aut nobilior est Athenis. Erechthei pristinam virtutem Alcmaeonidae praestant cum exstructione templi Delphici tum multitudine victoriarum. Jam nova victoria laetantur; dolendum vero est, quod invidia persequitur honestissima quaeque; quamquam teneamus, eam felicitatem, cui mali aliquid admistum sit, diutissime permanere.

Nonne hoc vere laudatorium et epinicium carmen est? Solet enim Pindarus carmina epinicia ita instituere, ut non solum in praesenti victoria et victoris laude acquiescat, sed urbem quoque et gentem victoris ceterasque ab ipso vel cognatis aut majoribus ejus reportatas victorias merita laude ornet. Quorum nihil huic carmini deest. Megacles enim clarissimae urbis clarissimus civis praedicatur. Qui hac Pythica victoria patriam et gentem suam ornavit, ipse et patriae splendidissimae gloria et gentis suae laudabilibus factis plurimisque victoriis exornatur. Atque quum virtutem victoris ad virtutem genti ipsi insitam, imprimis ad auctoris ejus praestantiam revocare e Pindari more sit, ut ne mythica quidem parte carmen egeat, Erechtheus, divinus generis auctor, in medio carmine ita ponitur, ut exstructio templi Delphici pio Erechtidarum animo deberi doceatur. Jam apparet, qui factum sit, ut Alcmaeonidarum gens tot splendidissimis victoriis inter Graecos inclaresceret; sunt enim praemia reverentiae deorum et pietatis, ab Apolline ipso iis concessa. Id si tenes, nova et clara lux postremis carminis versibus affertur, quibus poeta Megaclem de invidia gentis suae consolatur. Sive enim ea, quae Herodotus (6, 115) de proditione Alcmaeonidarum post pugnam Marathoniam tradit, vera sunt sive falsa, de hoc dubitare non possumus, quin nobilis illa gens inde a caede Cylonis invidia popularium laboraverit; quamobrem data occasione Pindarus utitur ad reconciliandos civibus suis et commendandos Alcmaeonidas. Quos quum claro et venerando Erechthei nomine distinguit simulque gloria exstructi templi Delphici ornat, indicat eos cives esse vere Athenienses, majoribus dignos. Templum enim Apollinis a Pisistratidis tyrannis, quorum expellendorum Alcmaeonidae praecipui fuisse dicuntur auctores, incensum et dirutum liberi cives magnificentius aedificaverunt. De patria igitur sua optime meriti sunt.

Cum hoc aptissimo carminis argumento forma optime congruit. Quinque enim partibus quaternorum aut quinorum versuum tota oda continetur. Atque προοίμιον et

ἐξόδιον sibi respondent, illo genus victoriae indicatur, hoc fructus; ἀρχά et σφραγίς laudem continent, prior urbis victricis, posterior gentis; in medio carmine ὀμφαλός mythi loco Erechthidarum nobile illud et pium facinus narrat; ordo igitur ita potest describi:

4 (πρ.) + 4 (ἀρχ.) + 4 (ὀμφ.) + 5 (σφρ.) + 5 (ἐξ).

Ab hac vero carminis suavissimi interpretatione multum discrepat Schmidtii judicium, qui de re proposita docte quidem et ingeniose disserit, sed ita, ut nemo non videat, ab isto lusu ingenii, licentiae et arbitrii plenissimo, bonos fructus exspectari nullo modo posse. Atque opus videtur esse omnem ejus sententiam brevitur comprehendere. Haec fere dicit: „Summa carminis vertitur in oppositione vv. εὐπραγία et εὐδαιμονία (v. 18 et 21). Illa voce singulae res feliciter gestae denominantur, hac conditio vitae vere beatae, temporum decursu probatae. Atque εὐπραγία poetam ita gaudio afficit, ut simul dolorem excitet, secum recordantis, eum esse cursum rerum humanarum, ut propter invidiam deorum adversae res secundas excipiant. Quamobrem vera εὐδαιμονία sola laetitiam nulla acerbitate turbatam excitare potest. Talem vero perfectam felicitatem plurimae victoriae genti Alcmaeonidarum paraverunt. Quorsum autem tota haec oppositio εὐπραγίας et εὐδαιμονίας pertinet? Nimirum videtur alter quoque victor Pythius a poeta carmen petiisse. Cui cur Megaclem anteposuerit, postremi carminis versus docent. Porro videtur Megacles Pindaro declarasse se timere, ne poeta Athenas vitandi causa cum publicis tum privatis de causis alteri victori mallet quum sibi, civi Atheniensi, satisfacere. Quin etiam „timide“ quodammodo Megacles carmen laudatorium a Pindaro postulasse videtur. Ad haec Pindarus comiter respondet, errare eum. Athenas enim ipsas, cujus urbis cives templum Delphicum exstruxerint, se summo cum gaudio celebraturum esse, praesertim quum Alcmaeonidarum ea sit felicitas, ut ipse vera laetitia frui possit, omni dolore et timore futuri mali abjecto. At, pergit interpres doctissimus, dum haec legis, interrogatio tibi in primoribus labris versabitur: num hoc est vere carmen epinicium? Minime; hae strophae aut initium sunt carminis, cujus major pars interiit, aut, id quod veri similius est, epistola poetica, quo Pindarus se victori morem gesturum esse promittit, eadem qua in carminibus epiniciis forma usus. *Haec igitur oda affirmatio est interrogationis Megaclis cum aliqua dubitatione prolatae.*“

At, vir audacissime! haeccine est tua laudata interpretandi ars? Commenta super commenta, inventa super inventa exaggeras, ut ingenii ubertatem et imaginandi vim atque varietatem ostendas? An hoc est interpretari? Quo ex fonte tu hausisti illud de altero victore Pythio, Megaclis aemulo? num novos victoris catalogos detexisti? an quemquam ab inferis revocare tibi contigit, qui recondita et arcana quaedam revelaret? In veterum enim scriptis nihil ejusmodi exstat; neque in hoc carmine ullum illius excogitatae aemulationis vestigium apparet. Quod enim de singulari vi vocum εὐπραγία et εὐδαιμονία hariolaris, nihil ad rem. Et erras quidem, quum dicis, εὐπραγίαν brevem et temporariam quandam voluptatem, εὐδαιμονίαν contra illam beatam quae paucis contingat sortem esse eorum,

quos dii singulari quodam amore diligant et eligant. Nam et eam felicitatem, quam *εὐδαμιονίαν* poeta dicit, victoriae reportatae fructum esse, docet P. X, 22: *εὐδαίμων τε καὶ ὑμνητὸς οὗτος ἀνὴρ γίγνεται σοφοῖς, ὃς ἂν χερσὶν ἢ ποδῶν ἀρετᾷ κρατήσαις τὰ μέγιστ' ἀέθλων ἕλῃ τόλμᾳ τε καὶ σθένει, καὶ ζώων ἔτι νεαρὸν κατ' αἶσαν υἱὸν ἴδῃ τυχόντα στεφάνων Πυθίων*, et Ol. 8, 14 *εὐπραγία* summae et perfectae felicitatis statum et conditionem notat: *πολλαὶ δ'ὁδοὶ σὺν θεοῖς εὐπραγίας.* Sed haec omnis distinctio ab hoc loco aliena est, quum *νέα εὐπραγία*, qua poeta delectatur, non ad alium quendam victorem pertineat, sed victoriam Pythicam Megaclis ipsius denotet. Quod vero additur, laetitiae doloris aliquid admixtum esse, id neque ad deorum invidiam neque ad futuri temporis malam spem referendum est. De re enim praesenti dicit poeta, invidia dico hominum malevolorum, qui praestantissimo cuique obtrectare solent (cf. P. 1, 85); in quo cur verbo *ἀμείβεσθαι* offendamur, non intelligo; est enim *ἀμείβεσθαί τι* respondere ad aliquid; de futuro autem tempore poeta adeo non sollicitus est, ut bonam spem alat, quod felicitatem Alcmaeonidarum humano more moderatam diuturnam fore persuasum habet. Atque hac sententia aptissime concludit carmen brevissimum quidem, sed praestantissimum et suavissimum, cui singulis partibus optime dispositis et in unum coeuntibus tam plena et cumulata laus gentis ditissimae victoriis inest, ut id aut truncum esse aut epistolam poeticam Schmidtius persuasurum esse confidam nemini. Concidit igitur totum illud conjecturis levissimis exstructum aedificium Schmidtii. Vix operae pretium est, singula quaeque refellere. Tamen ut levitatis et temeritatis Schmidtianae specimen proponamus, duo excerpemus. Quum enim legis, Megaclem, virum fortissimum, exilii Pisistratidarum auctorem praecipuum, nobili gente Alcmaeonidarum ortum, recenti victoria Pythica ornatum *animo trepido et timido* poetam precibus adisse, ut sibi carmen mitteret, vix oculis fidem habeas. Quicunque enim aliquam rerum Graecarum scientiam habet, is non ignorat, timiditate Graecos non laborasse, nedum Alcmaeonidas superbia notos. Quodsi quaeris, quibus fundamentis haec suspicio Schmidtii nitatur, nihil aliud audis, nisi illo tempore artem et operam Pindari angustioribus etiamtum finibus inclusam fuisse, utpote qui in sacerdotis et eupatridae loco retentus nondum sese extulisset ad summum officii et muneris fastigium, ut artem suam divinam toti Graecorum nationi deberi sibi conscius esset. Ejusmodi nugas interpres audacissimus in publicum edere non erubuit. Ut denique videas, quanti ea facienda sint, quae Schmidtius multis locis de imaginum usu ad nauseam profert, ut doceat prima vitae aetate poetam artem suam maxime imaginibus illustrare solitum esse, simul ut ejus interpretandi rationem cognoscas, ea addam, quae ad v. 3 sq. adnotavit. Postquam enim immemor praecepti illius Ol. V, 3 dati praemisit, quod sexcenties dicit, Pindarum adolescentulum initia carminum imprimis magnifica reddidisse, vituperat priores interpretes, quod v. *ἀοιδᾶν* cum acc. *κρηπῖδα* conjunxerint; pendere genitivum potius a dativo *ἵπποισι;* poetam enim velle *equis carminum*, sive ut nostro sermone utar den Gesangesrossen, fundamentum jacere. Vix enim credibile esse, poetam summum omnium certaminum ludicrorum vocabulo tam ambiguo et communi significasse. Praeclare! Virum doctissimum fugisse videntur Ol. X 62 *χείρεσσιν, ποσίν τε καὶ ἅρμασιν*

X 69: *ἀν' ἵπποισί τε τέτρασιν* P. VI 17 *εὔδοξον ἅρματι νίκαν.* Quodsi objicit his locis de victoriis sermonem esse, ut nemo dubitare possit, quales equi significentur, at in pompa victoriali eadem res est. Quicunque enim haec verba audiebant, ii non ignorabant Megaclem victorem curulem esse. Sed ut haec falsa sint, at absonum est carminum equis fundamentum jacere. Equi currere tendunt (cf. Ol. 6, 22), sicut aquilae volare (N. 5, 21). Quod enim Schmidtius affert *ἅρμα Πιερίδων τετράορον*, P. X 65 longe differt. Sed haec hactenus. Non omnia quidem, quae Schmidtius male et perverse de hoc carmine dixit, tractavi, sed satis multa, ut cognosci possit, quanti jam laboris futurum sit posterioribus interpretibus ea diruere et dimovere, quibus novissimus interpres artificia Pindari obruit et foedavit.

Ol. X (XI Momms.)

Victoria ab Agesidamo Locrensi Epizephyrio Ol. 74, 1 reportata a Pindaro duobus carminibus Ol. X et XI laudatur, quorum alterum post ipsam victoriam Delphis, alterum aliquot annis post Locris cantatum est. Quorum utrumque interpretibus magnas difficultates praebuit et indicio est, quanta pertinacia saepe errores quidam obtineant. Quum enim in carmine undecimo, quod quin aliquot annis post decimum scriptum sit, dubitari vix potest, v. 9 poeta dixisset in solvendo aere alieno usuras addendas esse, scriba quidam huic minori carmini, majori illi undecimo in libris manuscriptis propter minorem ambitum postposito titulum *τόκος* addidit et posteriores editores probata hac sententia hoc carmen usurae loco habebant. Id perversum esse quamquam plurimi recentiores interpretes intellexerunt, tamen multum operae et ingenii in eo posuerunt, ut indagarent, qua ratione illa carmina inter se conjungerentur. Atque modo putabant verbis v. 6 *πιστὸν ὅρκιον*, modo v. 5 *ἀρχαὶ ὑστέρων λόγων*, modo versu 16 alterum carmen tangi, quamquam si omnem praejudicatam opinionem abjeceris nihil ejusmodi invenies. Atque Schmidtio laudi vertendum est, quod hunc errorem vitavit, dolendum vero, quod praeoccupata mente ad carmen accedens alios errores immiscuit, qui haud scio an etiam magis impediant carminis accuratam cognitionem. Censet enim poetam adolescentem solito majore laetitia affectum hoc carmen scripsisse, quippe quo primum victor Olympicus laudandus esset; totum habitum carminis id prodere. Ego id mihi persuadere non potui. Nonne enim honor victoriae Olympicae etiam elatius tollitur carmine Olympico primo? Nonne in aliis hymnis etiam clariore voce praedicatur, quanti carmina facienda sint? Quodsi vero Schmidtius ad versum decimum provocat, quem cum Heimsoethio ita explicat, ut documentum sit modesti animi poetae, magnitudine officii suscepti adeo occupati, ut sine auxilio divino rem peracturum se diffidat, id a reliqua ejus consuetudine non abhorret. Nam Pindarus quacunque data occasione summam rerum diis tribuit; cf. Ol. 13, 104: *νῦν δ'ἔλπομαι μέν, ἐν θεῷ γε μὰν τέλος* N. 10, 29: *Ζεῦ, πᾶν τέλος ἐν τὶν ἔργων.* Ol. 9, 103: *ἄνευ δέ θεοῦ σεσιγαμένον οὐ σκαιότερον χρῆμ' ἕκαστον* etc. Schmidtius vero ne inde adolescentiae indicium depromat, addo quae ipse p. 106 de carmine XI cum hoc X fere, ut ipsi videtur, aequali vel, id quod mihi persuasum est, non multo post scripto dicit, quippe quo ope deorum silentio praetermissa tantum momenti ad victoriam repor-

tandam operae et laboribus victoris ipsius tribuatur, ut cognosci possit, poetam jam appropinquare ad maturiorem aetatem. Alterum modestiae documentum deprompsit Sch. ex vv. 8—10, quibus omnem eventum rei cum ad diligentiam et industriam choreutarum tum ad poetae operam divino spiritu inflatam referri dicit. In quo Schmidtius choreutis nimis tribuere videtur. Pronomen ἁμετέρα enim aut de Pindaro solo accipiendum est aut de poetis universis (cf. Mommsen ad Ol. XI 12).

Restat, ut brevem carminis descriptionem addamus, de qua dubitatio oriri non potest, dummodo de sensu versus 10 a libris male traditi convenit. Atque silentio praetereo varias variorum emendationes, acquiescens in Leutschii conjectura ὁμοίως, quod hic non aliter usurpatum est ac P. 9, 78, ut sensus hujus vexatissimi versus sit: florem sapientiae pariter h. e. sive quis arte poetica, sive ut Agesidamus arte gymnica praestat, homines diis debent. Merito enim Hartungius dicit, σοφούς eos omnes appellari, qui in uno aliquo genere emineant. Id si verum, connexus sententiarum hic est:

Aliis alia opus sunt, victoribus poetarum laus, imprimis victoribus Olympicis, quos praedicare nostrum est. Omnis autem ars et sapientia a diis datur, ut victoribus ita poetis. Mea igitur divina arte ita utar, ut tuam, Agesidame, similem extollam laudibus, simul gentem tuam praedicans, hospitalitate Musarum studiis fortitudine nobilem.

Videmus igitur omnia ea, quae carminum epiniciorum propria esse solent, huic carmini inesse, excepto uno, mytho, cujus locum generalis illa sententia v. 10 ἐκ θεοῦ δ'ἀνὴρ σοφαῖς ἀνθεῖ πραπίδεσσιν ὁμοίως tenet. Quae totum carmen in unum continet, ut merito eam ὀμφαλόν totius carminis dicere possis; praemittitur vero laus victoriae Olympicae, sequitur laus victoris Olympici; exordium continetur laude artis gymnicae universae, conclusio laude gentis Locrorum, summis virtutibus et studiis conspicuae. Singulae igitur partes ita sibi respondent:

6 (πρ.) + 3 (ἀρχ.) + 1 (ὀμφ.) + 4 (σφρ.) + 7 (ἐξ.)

Quibus disputatis vix opus est, ut Schmidtii opinionem fusius refellam suspicantis vel potius satis confidenter censentis, hoc carmen Pythico VIII similem epistolam esse, quam publice inter instrumentorum musicorum sonum et saltationem chori cantatam esse verisimile non sit.

Ol. XI (X Momms.)

In interpretando hoc carmine, cujus et compositio simplex atque perspicua et textus, unum fortasse locum si exceperis, optime restitutus est, summus usque adhuc consensus hominum doctorum erat. Id tantum dubitabant, quo tempore scriptum et quomodo exordium carminis interpretandum sit. Atque de exordio infra plura dicemus, de origine hoc certum est victoriam aliquot annis carmen antecessisse. Id Hermannus et Mommsenius censent in redeuntibus victoriae solemnibus Ol. 75 cantatum esse, alii multo tempore post, quum victor jam senex factus esset. Quorum prius magis placet, neque versibus 112 sq.

refutatur neque v. 86 sq., quo loco tertium comparationis non in propinquitate mortis positum est, sed in eo vertitur, quod aliqua spes, de qua jam desperabatur, subito et ex inopinato rata facta est.

A ceterorum vero interpretum ratione quam maxime recedit Schmidtius, qui triumphanti ore plane nova et inaudita vaticinatus summa cum fiducia haec in lucem edit:

1) carmen paucis modo mensibus post statutam diem a poeta missum est, certe intra priores duos annos olympiadis LXXIV; (p. 101)

2) poeta cum Agesidamo victore arcto familiaritatis vinculo conjunctus erat; (p. 105)

3) Pindarus cum Agesidamo eam pactionem fecerat, ut poeta sponderet, se hanc victoriam carmine praedicaturum, Agesidamus, se proximis Olympicis ludis iterum in certamen descensurum esse; (p. 103)

4) carmen duas fabulas continet, quarum major et primaria parum cum reliquo carmine conjuncta est, secundaria vero et minor cum rebus victoris arctissime cohaeret; (p. 108)

5) carmen cantatum est in Jovis solemnibus; (p. 112)

6) post hoc carmen ab eodem choro alia carmina, ab aliis poetis scripta, in Jovis laudem publice cantata sunt; (p. 111)

7) carmen sero missum est, quod poeta et aliquid praestantius facere voluerat (p. 98) et tanta admiratione tantoque amore victoris flore juventutis pulcherrimo ornati captus erat, ut longiore temporis spatio opus esset, donec mente recepta poetae officio fungi posset; (p. 116).

Noli vero credere, postrema Schmidtium jocandi causa addidisse; imo tanta cum gravitate tantoque ardore animi loquitur, ut videas ei vere persuasum esse, poetam aut ficta tali laude Agesidami indignationem placare et conciliare voluisse aut re vera adspectu pulcherrimi adolescentuli mente captum fuisse. Nam et p. 435, quo loco de Deinidis Aeginetae, pulcherrimi juvenis, victoria, eodem fere cum hac Agesidami victoria tempore celebrata, loquitur, ad eandem sententiam redit, et hunc locum diserte ita absolvit: „alias poetam maturiorem et praestantiorem inveniemus, amabiliorem nunquam.“

Has quidem ineptias narrasse satis erit, refutatione indignae sunt; sed quoniam Schmidtii liber, quum primum in lucem prodiit, a doctissimis viris et ingeniosissimis tantis laudibus elatus est, praetermittere non possumus, quin ceteris certe diligentius inspectis doceamus, quam infirmis ac potius nullis fundamentis nitantur. Atque quum Schmidtius ex priore potissimum parte carminis sua hauserit, haec in quaestionem vocanda est.

Primi carminis versus docent, memoriam victoris et promissi ei dati e mente poetae excidisse. Quid? excidisse? clamat Schmidtius, excidisse ei mandatum honorificentissimum, ut olympicam victoriam caneret? quum poetae juveni prima occasio data esset ad supremum artis suae gradum escendendi, id eum oblitum esse, minime verisimile esse. Ad quae respondeo, quam late illo tempore gloria poetae jam patuerit neque alium quemquam neque Schmidtium doctissimum dicere posse, quum ignoremus, quot carmina hoc

Olympicum undecimum antecesserint. Hoc constat, laudem Pindari poeticam non solis epiniciis partam esse. Sed vel si carmina epinicia sola spectamus, Schmidtii sententiam improbare debemus, quum Pindarus illo tempore jam complures Pythicos victores cecinerit. Et si verum est, olympicam victoriam omnibus ceteris longe praestitisse, tamen non idem dicendum est de *carminibus* Olympicis et Pythicis ipsis. Ab altera vero parte non absonum est, illo ipso tempore Pindarum, qui alia quoque carmina et publico et privato usui destinata cum sacra tum profana pangebat, adeo negotiis et officiis obrutum fuisse, ut diem redeuntium solemnium oblitus admonendus esset suscepti officii. At de oblivione e Schmidtii sententia omnino sermo non est, sed de mora et retardatione, et ea quidem brevissima; nam verba *γλυκὺ γὰρ αὐτῷ μέλος ὀφείλων ἐπιλέλαθα* v. 3 non vertenda esse: „oblitus sum me dulce carmen ei debere," sed: „nihil sentiens eo delapsus sum, ut dulce carmen deberem." Ita tribus de causis explicandum esse: primum enim si longiore spatio carmen ipsum a victoria disjunctum fuisset, Pindarum praetermissurum non fuisse, quin commemoraret, quae intra hoc spatium in vita victoris facta memoratu digna incidissent; deinde imaginem usurae additae optime de brevi temporis spatio dici, ratione habita grandis veterum Graecorum fenoris; denique idem postulare verba *ἐπιμομφὰν ἀνδρῶν* v. 9; vulgi enim memoriam brevissimam esse, neque verisimile esse Locrenses per complures annos Pindaro carmen debenti succensuisse. Ad quae respondeo: primum v. *ἐπιλέλαθα* obliviscendi vim habet, non eam, quam Schmidtius falso statuit; deinde Pindarus memorabilia victoris facta inter victoriam et carmen nulla invenit, sicut ne ante victoriam quidem talia invenit, coactus igitur de iis silet; tum de imagine a fenore sumta idem dicendum est, quod Schmidtius ad v. 86 sq. de senescente patre dixit, cui filius praeter spem natus est, similia scilicet non nimis urgenda esse; hac certe comparatione poeta nihil aliud docere vult, quam omnem infamiam simul cum debito tolli, si quis plus praestat, quam promisit. Quod denique statuit, hominum memoriam non tam acrem aut diuturnam esse, ut per annorum seriem poetam vituperent, qui promissis datis non staret, id nullius momenti est, si lectio *τόκος ὀπαδέων*, quam Mommsenius e scholiis excitavit, vera est; sin cum Friederichsio et Schmidtio *τόκον ἀνδρῶν* aut cum codicibus optimis *θνατῶν* scribis, nihil impedit, quominus non de toto Locrensium populo, sed de solo Agesidamo et ejus gente cogitemus. Primaria igitur Schmidtii sententia non admodum firmis fundamentis fundata est. Inspiciamus cetera: Quae duobus primis versibus narrantur ex communi poetarum consuetudine deprompta esse censet, quorum is sit mos, ut carminum materiam aliquamdiu in intimis animi recessibus deponant et concoquant, donec maturitatem adepta formam poeticam induat. Sed huic interpretationi obest conjunctio *γάρ* v. 3; exspectas enim: „nam Agesidamum canam." Poeta vero ita pergit: „Nam oblitus sum, me ei carmen promisisse." Vere igitur oblitus victorem imaginem ejus in mente latentem quaerit et resuscitat. Hoc uno modo ea quae sequuntur bene cohaerent. Musa enim et Veritas testes evocantur, ut poetam a malo et injusto crimine (*ἐνιπὰ ἀλιτόξενος* v. 6), tamquam consilio et voluntate amicum praetermiserit, defendant. Jam additur, ut quam injustum id crimen esset appareat quo-

modo inciderit in peccatum: *ἕκαθεν γὰρ ἐπελθὼν ὁ μέλλων χρόνος ἐμὸν καταίσχυνε βαθὺ χρέος* (v. 7). Securus factus est poeta, quod dies constituta longissime abesse videbatur, tamen paulatim appropinquabat et debito addidit dedecus. Schmidtius *βαθὺ χρέος* quoque male interpretatur. Nam neque *βαθύς* est *alto in animo infixus*, quod male tuetur N. 4, 8 (*βαθεῖα φρήν* multum differt), sed *magnitudinem debiti* indicat, quod quamquam multum temporis ad diluendum debitum poetae datum erat, tamen non solvebatur (cf. *βαθὺς κλᾶρος* Ol. 13, 62), neque v. *χρέος* per prolepsin interpretandum est. Imo, quo die promissum in se recepit, eo ipso die debitum suscepit; quod quum statuta die non solverit, ad debitum addidit dedecus. Neque tamen desperat poeta. Ut enim aes alienum reddendum quidem est, debitor vero cum usuras addidit omni vituperatione liberatur, ita poeta debitum solvens usuras addere vult, ut vituperationem hominum effugiat. Quae vero sunt illae usurae? An carmen Olympicum X? Minime. Qui enim hoc votum poetae audiebant, non exspectare poterant, duo carmina pro uno promisso poetam misisse, sed usuras huic ipsi carmini additas et adjunctas fore sperabant. Atque haec incrementa carminis aut majore ambitu aut majore diligentia et praestantia constare poterant, quorum neutrum ab hoc carmine abest. Plane igitur deletur debitum, ignominia et dedecus tollitur. Sed hoc poeta non directo sermone, sed imagine adhibita dicit, in qua explicanda interpretes multum haeserunt, Schmidtius naufragium fecit. Verba haec sunt: *ὅμως δὲ λῦσαι δυνατὸς ὀξεῖαν ἐπιμομφὰν γε τόκος ἀνδρῶν. νῦν ψᾶφον ἑλισσομέναν ὅπᾳ κῦμα κατακλύσσει ῥέον, ὅπᾳ τε κοινὸν λόγον φίλαν τίσομεν ἐς χάριν* (v. 9 — 12). Locus re vera difficillimus est. Atque dolemus, quod spatii concessi exiguitate prohibemur, singula virorum doctorum conamina diligentius exponere. Quare satis sit monuisse, neque mutanda esse verba poetae libris manuscriptis et scholiis tradita, neque ante *ὅπᾳ* cum scholiis quibusdam et Boeckhio *ἴδωμεν* vel simile aliquod verbum audiendum esse. Maxime arridet Hermanni interpretatio, qui ellipsin statuit: *νῦν ὅπᾳ = νῦν ἔστιν, ὅπᾳ = νῦν ἔστιν, ὅπως*. Sed non necessarium. Praemiserat poeta: Tamen usura vim habet solvendae i. e. dimovendae acerbae hominum vituperationis. Facillime igitur suppletur ad v. *νῦν* id quod de usura praedicavit poeta: *νῦν (τόκος δυνατός ἐστι λῦσαι ἐπιμομφάν), ὅπᾳ* etc. jam, jam potens est (valet) usura dissolvere vituperationem, sicut unda fluens volutatum lapillum proluendo aufert, sicut et ipsi totum sermonem debitum (cf. Mommsen ad Ol. VII 90) in jucundam gratiam persolvemus. Tota igitur comparatio ad vim *dimovendi et auferendi* pertinet. Atque primum quidem illustratur similitudine e rerum natura sumpta, quanta vis usurae sit; ut enim lapillus torrentis impetui resistere impotens raptim aufertur, ita vituperatio eo ipso temporis momento tollitur, quo debitor usuras capiti addidit. Deinde ista vis usurae exemplo e vita allato probatur: ita ne minima quidem vituperatio in debitore, ubi usuram toti summae adjunxit, residet, ut ipse cuncto quem promisi sermone soluto non solum liber ero ab opprobriis, sed etiam gratiam jucundissimam inibo. Vituperatio igitur usuris et *facillime* et *funditus* tollitur. Ordo enim sententiarum hic est: Poeta confessus erat, se Agesidamo promissum carmen debere. Ambiguitate vero vocis *χρέος* adducto ei aeris alieni in mentem venit, unde ad

usurarum vim et utilitatem transit, ad quam illustrandam duo similia adhibet, quorum alterum undarum similem vim indicat, alterum ad praesentem rerum statum accommodatum transitum commodum ad Locrensium laudem parat. Quae vero sequuntur non ita cum antecedentibus conjungenda sunt, ut Mommsenius censet: „Facile debitum carmen Musa mea amicis persolvere potest. Nam multae sunt Locrorum laudes.“ Imo, sperat poeta se brevissimo tempore vituperio liberatum iri, quod Locrenses veraces, Musarum amici, fortes sint. Ut veraces sunt, non negabunt poetam plus praestitisse quam pollicitus erat; ut Musarum amici sunt, carmine praestanti facillime reconciliabuntur poetae, praesertim tali, quod quum certaminibus et bellis resonet, animis fortibus et bellicosis eorum maxime probetur.

Cum his optime congruit argumentum carminis ipsius, in quo institutio ludorum Olympicorum cum Herculis factis bellicis conjungitur. Priusquam vero ad ea poeta transeat, laudem victoris non mediocri arte ita praedicat:

„Locrenses bellicosi Martis cultores sunt. Haec laus iis tribuenda esset, vel si clades acceptae mihi narrandae essent, quippe quum Hercules ipse omnium virorum fortium fortissimus semel a Cycno pulsus esset; quanto magis igitur laudanda est eorum fortitudo, quum pugilatus victoria mihi canendi gratam occasionem offerat ab Agesidamo reportata, quam imprimis magistro suo Ilae debet. Bonum enim magistrum habere multum valet ad certamina, quamquam qui corona oleagina coronari studet, ne laboribus quidem gravibus supersedere poterit, sine quibus nulla victoria hominibus contingere solet.“ Ita sententiae bene procedunt, neque opus est ad scholiastarum illam narrationem confugere tradentium, Agesidamum primum superatum Ilae aliptae sui adhortationibus commotum esse, ut certamen renovaret, ex quo victor denique prodierit. Aliptis enim tale quidquam concessum fuisse more Graecorum vix credibile est.

Jam redeamus ad Schmidtium! Quantum a ceteris interpretibus recedat in expositione versuum 1—9 vidimus; magis etiam discrepant ea, quae ad v. 9—23 adnotavit.

Censet enim cum imagini illi (v. 10) fusius explicatae non auferendi, sed movendi vim inesse, tum verba *τίσομεν κοινὸν λόγον φίλαν ἐς χάριν* ab interpretibus prioribus male intellecta esse. V. *λόγον*, quum verbum *τίνειν* additum sit, nihil aliud significare posse quam, quod Kayserus docuisset, *summam pecuniae debitae;* subjectum autem verbi *τίσομεν* esse poetam et victorem, ad quos adjectivum *κοινός* et ipsum pertineat. Pactionem enim eos inter se fecisse, qua Pindarus pro carmine canendo compensationem quandam pactus sit, *nimirum aliam quandam mercedem quam pecuniam.* Quae quum ita sint, carmen poetae, quum Agesidamum cogat votum a se susceptum et ipsum solvere, vere excitandi et movendi vim habere, simile illius torrentis, qui lapillum moveat et abluat. Intentis animis ab ore Schmidtii pendemus cupidissimi audiendi, quale officium Agesidamus in se receperit. Vir doctissimus dicit quidem, omnibus qui legere sciant, id satis dilucide versus 15—18 narrare, sed nos quidem nihil ejusmodi deteximus. Quamobrem quaesumus, vir ingeniosissime, ut nos mysteriis tuis inities et arcana tua ipse reveles. Favete linguis!

Agesidamus — ita exorditur Pythia Bonnensis — pollicitus erat, se si Pindarus sibi carmen fecisset iterum Olympiae in ludis publicis certaturum esse. Hanc ob rem poetae, qui eum ad id excitat et adhortatur, gratiam debet. — Quid oculos teritis, homines hebetis ingenii? Ita scriptum est vaticinium in Schmidtii Sibyllinis p. 104, ubi versus poetae, quibus hoc inest, et ipsi typis expressi exstant; sunt enim hi:

τράπε δὲ Κύκνεια μάχα καὶ ὑπέρβιον Ἡρακλέα, πύκτας δ' ἐν Ὀλυμπιάδι νικῶν Ἴλᾳ φερέτω χάριν Ἀγησίδαμος, ὡς Ἀχιλεῖ Πάτροκλος. Haec Schmidtius ita interpretatur: Participium *νικῶν* non ad hanc aut omnino praeteritam victoriam referendum esse, sed ad futuram quandam; alioquin enim poetam *νικάσαις* scripturum fuisse. N. pr. *Ἴλας* pro *Ἰόλαος* positum esse, atque quum talis nominum mutilatio nisi in mythicis nominibus statuenda non sit, Jolaum Herculis socium significare. Nam ab Jolao — Schmidtii ipsius verba reddo — Herculem, ut pugnam cum feroci Martis filio redintegraret, excitatum et incensum esse, Stesichorum aut alium quempiam narravisse, verisimilius est, quam ut id eam solam ob causam dubitari possit, quod scholiastae, qui hunc locum male intellexerunt, de hac re tacent, semel obiter indicantes Minervam Herculem admonuisse. Haec Schmidtius!! Cum hoc Jolao Pindarum se ipsum componere censet! Talia legentes jure oculis diffidimus. Iterum alia conjectura ex vano hausta super aliam exstruitur; inde cum summa fiducia novum et usque adhuc inauditum fundamentum carminis Pindarici interpretandi conficitur. Taedet nos ejusmodi fictionibus causas et argumenta opponere. Atque quod dixit de participio *νικῶν* pro non dicto habemus, donec de similis participii praesentis usu, qui Ol. 1, 97. 13, 30. N. 7, 75. J. 5, 7 exstat, meliora attulerit, quam quae p. 104 animadv. 1 scripsit. Non meliora aut probabiliora de nomine *Ἴλας* dicit. Scholiastae enim uno consensu tradunt, id nomen aliptae Agesidami fuisse. De Jolao Herculis amico ne eam quidem ob causam cogitari potest, quod, si haec Schmidtii interpretatio vera esset, proximo versu poeta se cum Achille, Agesidamum cum Patroclo compararet. Hac autem altera similitudine prima tolleretur et narratio quam maxime turbaretur. Sed finge, Jolaum Herculis socium intelligendum esse. Quomodo Pindarus poterat se ei conferre? Quod Herculem incitaverit ad redintegrandam pugnam? Nusquam vero de tali admonitione quidquam legitur. Semel haec res obiter tangitur a scholiasta, sed is rem contrariam dicit, non Jolaum, sed Minervam Herculem excitasse ad pugnam. At num verisimile est, hanc Pindari sententiam fuisse? Imo verba *τράπε δὲ Κύκνεια μάχα καὶ ὑπέρβιον Ἡρακλέα* ne dicunt quidem Herculem certamen renovasse. Id si Pindarus docere voluisset, verisimile est, eum non in contrariam partem de *fuga* Herculis dicturum fuisse. Sed ut hoc ipsum concedatur, Pindarum tetigisse renovatam Herculis cum Cycno pugnam, quomodo id congruit cum praesenti causa, in qua non clades Agesidami dolenda erat, sed splendidissima victoria Olympiae reportata fidem et spem praebebat, eum redeuntibus ludis iterum victorem e certamine proditurum esse? At omnino de poetarum adhortationibus hoc loco sermonem non esse, Schmidtium versus 20—23 docere poterant, qui necessario ad aliptam bonum et palaestrae labores referendi sunt, non ad poetarum artem aut vim carminum. Comprehendamus denique universum Schmidtii de

his versibus judicium; dicit enim haec: „*ut* pugna adversus Cycnum ingentem Herculem repulit, *ita* Agesidamus, vincens solemnibus Olympicis pugilatu, Jolao suo gratiam referto, ut Achilles (sic!) Patroclo. Adhortando vir diis faventibus eum, qui ad virtutem natus est, ad insolitam gloriam promovere potest. Sine laboribus autem pauci ejus laetitiae participes fiunt, quae ante omnia cetera vitae splendorem addit." Confiteri cogimur nos artem logicam Schmidtii sequi non posse. Quamquam cum his bene conveniunt ea, quae sequuntur. Pergit enim ita: „Quamvis poeta Agesidamo non directis verbis promittat, se alteram ejus victoriam laudaturum esse, tamen verba ejus spem excitant futurae laudis poeticae. Nam illud *πελώριον κλέος* v. 21 non tam ex una, quam ex pluribus victoriis oritur; quare actio, quae verbis *θήγειν* et *ὁρμᾶν* inest, iterata cogitanda est." Id quomodo Schmidtius scribere potuerit, iis perspicuum non erit, qui *ἐν Ὀλυμπιάδι* v. 16 memoria tenent, quod scribi non potuit ipsum per se, si non de una, sed de pluribus victoriis Olympicis sermo erat. Ad *πέλωριον κλέος* vero adipiscendum non unam, sed plures victorias opus esse, vix credibile. An Pindarus „*maturiorem aetatem adeptus*" quum Ol. I, 1 sq. caneret, opinionem suam de victoriarum gloria mutaverat?

Quum ea, quae Schmidtius de mythica parte dicit, parvi momenti sint, statim ad finem fabulae nos vertimus, quem idem cum extrema carminis parte male cohaerere judicat; ex quo colligi possit, poetae artem illo tempore nondum satis perfectam fuisse. Verba autem poetae haec sunt: *ἀρχαῖς δὲ προτέραις ἑπόμενοι καί νυν ἐπωνυμίαν χάριν νίκας ἀγερώχου κελαδησόμεθα βροντὰν καὶ πυρπάλαμον βέλος ὀρσικτύπου Διός, ἐν ἅπαντι κράτει αἴθωνα κεραυνὸν ἀραρότα.* (v. 78—83.) Repudiata Boeckhii interpretatione, quam plurimi interpretes secuti sunt, Schmidtius censet, si fulmen Jovis pro signo Locrorum Epizephyriorum accipiatur, transitum male se habere, quum vix credibile sit, in primis solemnibus Olympicis ullam gentem idem insigne habuisse, ut socii parta victoria laudibus id celebrare potuerint. Id quidem vix credibile est, neque vero necessarium; sufficit enim, utroque tempore cantatum esse *τὸν ἐγκώμιον ἀμφὶ τρόπον* (v. 77); nam ut illo tempore Jovis, dei ludorum, laus celebrata esse putanda est, ita hoc quoque tempore eum praedicare decet; id vero eo aptius est, quod idem Locrorum Deus tutelaris est, cui haec recentissima victoria debetur. Hanc ob causam fulmen et Jovis insigne et Locrorum commune signum laudibus effertur. Quod certe melius est, quam Schmidtii vile inventum illud judicantis, ex hoc loco colligi posse, carmen in Jovis festo cantatum esse et verbis *κελαδησόμεθα βροντὰν καὶ πυρπάλαμον βέλος* carmina alia significari, quae post hoc carmen ab eodem choro in laudem Jovis canenda fuerint. Docere id censet et futurum *κελαδησόμηθα* v. 79, et *ἐγὼ δὲ* v. 97, quibus verbis poeta se opponat auctoribus illorum carminum, et *κεῖνον κατὰ χρόνον* v. 102, quibus verbis festum Olympicum huic pompae opponatur. Falsa profert; nam tempore futuro uti potuisse poetam sensu exhortativo, docet Krueger Gr. Gr. 53, 7, 2.; verba *κεῖνον κατὰ χρόνον* docent, inter hoc carmen et victoriam aliquod spatium interfuisse; pron. *ἐγὼ δὲ* v. 97 docet, poetam, quod modo de universa laude poetica dixit, jam ipsi Agesidamo praestiturum esse. Omnia igitur quadrant; hariolationes autem illae Schmidtii de aliis carminibus ad

sacra quaedam pertinentibus non majoris pretii sunt, quam illae, quibus carmen Olympicum sextum suo more ornavit. (cf. p. 275 sqq.)

His igitur Schmidtii erroribus remotis nihil remanet, quod in hoc carmine offendat. Nam fabula et ipsa cum rebus victoris optime convenit. Versatur enim in describenda institutione ludorum Olympicorum, quae ita narratur, ut simul Agesidami victoris Olympici ratio habeatur. Ut enim Herculi graves et periculosi labores superandi erant, priusquam ei contingeret ludos Jovi sacros instituere, ita Agesidamus multa fecit et tulit, ut victoria potiretur (v. 15—23). Certamina vero ipsa eam ob causam, additis singulorum victorum nominibus, tam fuse narrantur, ut appareat, quantum honorem adeptus sit Agesidamus, qui longam virorum fortissimorum seriem concludit, Dorycli Tirynthii similis, qui primam pugilatus victoriam illo tempore reportavit. Quamobrem quis invideat Locrensibus hanc pompam victorialem et carminum epiniciorum sonum, quum Hercules et ipse cum sociis coronatis diem ludorum laeto festo concluserit?

Jam comprehendam singula, ut ars poetae a Schmidtio tam foede obscurata cognosci possit:

Oblitus sum Agesidamum, non consilio, sed deceptus temporis celeri fuga. Jam peccatum emendabo canens eo pulchrius carmen, quo celeriter Locrensium gratiam mihi parabo (1—12). Laudem enim bellicam eorum celebraturus sum, quae Agesidami victoria valde aucta est. Debet autem magistro maximam gratiam (13—19), quamquam is discipulum non poterat liberare laboribus, sine quibus victoriae nunquam parantur (20—23). Summum vero omnium certaminum narrabo, quod Hercules Augea aegre superato Jovi instituit (24—43). Parata enim victoria Pisam exercitum coegit et locum ludis sacravit (43—59); tum socii ejus prima ludicra certamina celebrabant, quibus vespere finitis per noctem luna illustratam epulis et carminibus delectabantur (60—77). Simili modo nos quoque veterum morem imitantes Jovem nostrum canamus. Fluctuans vero cantus respondebit tibiarum sonis, carmine tandem Thebis allato (78—85), sero quidem, sed eo libentius accepto, sicut filius senescenti patri praeter spem natus laetitiam auget. Carminis autem laude ornatus Agesidamus vere felix habendus est; poetae enim immortalitatem nominis efficiunt. Meum vero est Agesidamum laudare et urbem ejus, quoniam ipse eum vidi, quum Olympiae juventutis flore insignis victoria potitus est, Ganymedi pulcherrimi aemulus, quem Venus propter pulchritudinem suam Orco eripuit (85—105). Partes carminis igitur ita fere distinguendae sunt:

12 (*πρ.*) + 7 (*ἀρχ.*) + 4 (*κατ.*) + 54 (*ὀμφ.*) + 8 (*μετ.*) + 20 (*σφρ.*).

Respondent sibi ita: *ἀρχά* et *σφραγίς* victoris et Locrensium virtutem et felicitatem praedicant; *κατατροπά* et *μετακατατροπά* ita cohaerent, ut illa labores, qui victoriam praecedunt, haec laetitiam, quae victoriae fructus est, contineat; *ὀμφαλός*, ut assolet, mythum narrat.

Nem. V.

Interpretatio hujus carminis difficillima est, quod neque, quo anno victoria reportata sit scimus neque de victore ejusve gente certiora tradita sunt. Id tamen Dissenius demonstravit, hanc odam ante Isthm. V cantatam esse, pugnam igitur Salaminiam aliquanto antecedere; et de rebus atque gente victoris egregie disputaverunt Leutschius*) et Rauchensteinius**), quorum operae et ingenii acumini haec fere debemus: Lamponis Aeginetae e gente Psalychidarum duo filii erant, Pytheas major et Phylacidas minor natu; quorum consobrinus Euthymenes erat. Themistius ille, qui v. 50 commemoratur, et ipse consanguinitate cum iis conjunctus, nepos erat a patre Themistii illius, de quo Isthm. V, 65 sermo est. Idem Themistius avus erat Pytheae et Phylacidae, sed a matre. Num Euthymenes frater Themistii minoris fuerit an consobrinus, vix dijudicari potest; verisimile autem est, eum illo tempore adolescentulum fuisse, illis aequalem.

De rebus eorum hoc unum scimus, eos multis victoriis ornatos fuisse. Pytheas enim non solum Nemeae, sed etiam Megaris et in Aegina vicerat. Phylacidas postea in Isthmo bis coronatus est; Euthymenes jam ante hanc victoriam in Aegina feliciter certaverat et haud scio an in Isthmo quoque; Themistius Epidauri pugilatus et pancratii eximium praemium tulit.

Sententiae carminis ita se excipiunt: Pytheae victoria laudanda est, quippe qui Aeacidis honorem pepererit et Aeginae, pro cujus salute quondam uno animo tres Aeaci filii ante Jovis aram preces fecerunt (1—13). Qui quamobrem ex insula emigraverint, silentio praetereo, quum non semper juvet verum dicere (14—18). At si victoriae laus praedicanda est, boni saltatoris similis omnes difficultates supero, imo aquilae instar vel maria transvolo in Pelion, ubi quondam Apollo a Musis circumdatus Peleum carmine celebravit in solemnibus nuptiarum, quum Thetidem ei castitatis et pietatis praemium Juppiter in matrimonium daret, reconciliato fratre Neptuno, Isthmi domino et ludorum celeberrimorum praeside (19—39). Insita enim virtus ubicunque plurimum valet. Eam Euthymenes quoque et Pytheas praestiterunt, quum primum certamina adierunt. Imo omnes cives Aeginetici inter se de virtute aemulantur. Ne vero obliviscaris, quantum ad victoriam reportandam Menander magister attulerit. Laudandus denique Themistius quoque, qui victoriis summis patriam auxit (40—fin.).

Jam animadvertamus fabulam, quae in duas partes disjungitur, quarum priore narrantur tres Aeaci filii uno animo ante Jovis aram preces fecisse, ut patriam suam bonis viris et navigationis laude ornaret. Postquam poeta obiter triste aliquod factum tetigit, celerrime transit ad Pelei laudem, qui ob repudiatum adulterium divino matrimonio a Jove donatus et in deorum conventu ab ipso Musageta laudibus summis ornatus est, ut vere Peleus in eorum numero habendus sit *λέγονται μὰν βροτῶν ὄλβον ὑπέρτατον οἳ*

*) Mus. Rhen. XVII p. 338 sqq.

**) Neues Schweizer. Mus. III. p. 243—254.

σχεῖν (P. 3, 89). Illud triste factum ad necem Phoci, cui fratres gymnicam laudem invidebant, referendum esse nemo audientium ignoravit.

Sed quorsum haec narrantur? Tres Aeaci filios pro Aeginae salute una mente preces facientes comparandos esse cum adolescentibus Psalychidis, qui splendidissimas victorias aut reportaverunt aut meditabantur, non nego. Imo haec ipsa victoria, cujus nuntius tot lintribus et naviculis in omnes Graeciae partes efferebatur, docebat preces auditas esse. Aegina enim et *εὔανδρος* facta est et *ναυσίκλυτος*. Id vero nunquam Dissenio credam, caedem Phoci a poeta ideo tecte significari, ut fratres victores, victoriarum cupidissimos, a mala aemulatione deterreat, ne dissidium gravius existat unquam turbetve fortunam eorum, qui ambo ad gloriam nati sint. Melius Rauchensteinius dicit, poetam indicare voluisse, quid causae fuisset, cur Aeacidarum nemo perpetrato illo facinore in Aegina commoratus esset; eos enim communem Graecorum morem secutos peccatum exilio expiasse, alterum in Salaminia insula, alterum in Thessalia. Idem hanc alteram addit causam, hac fabula poetam sibi transitum paravisse ad illam felicitatis Pelei narrationem, qua juvenes Aegineticos ad similem castitatem et pietatem excitare voluerit. Praeclare quidem utrumque vir venerandus dixit, sed rem non universam expedivit. Nam ut Peleum juvenibus imitandum proponeret et felicitatem ejus laudaret, non opus erat illa tristi memoria; emigratio vero Aeacidarum ex patria insula unius curiositatis causa narrari non debuit. Haud scio an gravior causa poetam moverit. Quae qualis fuerit videbimus, si alteram fabulae partem accuratius inspexerimus. Ea enim magis etiam ad rem ipsam accedit, quippe qua nobis poeta revelaverit, cui rei Aeginetae debeant, quod in suam insulam summa deorum gratia, tot victoriis probata, redundet. Aegina nimirum antiquitus *φίλα ξένων ἄρουρα* fuit (v. 8). Veritus enim Jovem hospitii jus tuentem (*ξεινίου πατρὸς χόλον δείσας* v. 33) Peleus recusavit Hippolytae illecebras. Cujus pietatis tantum praemium tulit, ut vel Neptunus, qui ob caedem Phoci, filii marinae deae, imprimis irascebatur, cum eo in gratiam rediret. Tantum igitur valet innata virtus. Hanc summam esse fabulae ipsius, jam inde perspici potest, quod Pindarus suo more id indicavit, ad ipsum finem fabulae sententiam generalem adjungens: *πότμος δὲ κρίνει συγγενὴς ἔργων πέρι πάντων* (v. 40). Jam alia quoque res dilucidior fit. Eadem virtus innata est Euthymeni Pytheae Themistio. Quid mirum, quod ubicunque ad certamina sese accingunt, victores evadunt? Sunt enim Aeacidarum posteri; quorum mores quum et ipsi referant, iis Juppiter praeses Nemeorum, Neptunus Isthmiorum ludorum eandam quam Peleo gratiam concedunt. Quin Apollo quoque, qui in solemnibus Pelei nuptialibus chorum duxit, iis favet, Pytheae in ludis ipsi sacris victoriam concedens. Recte vero Rauchensteinius judicat, ideo fabulam usque ad ludos Isthmicos deduci, quod verisimile sit, victorem et ejus fratrem jam Isthmia adire in animo habuisse; quamobrem eos poetam adhortari, ne de studio desistant, quum Neptunus, qui Peleo adeo faverit, iis quoque procul dubio victoriam tributurus sit, sicut et navigationem Aeginae auxerit.

Haec si recte exposuimus, non est, quod queramur de turbato sententiarum ordine, quamquam libenter concedo nondum omnia enucleata esse, imo uni loco, qui quidem ad

perspiciendam odam maximi momenti est, v. 43 dico, tantam caliginem obductam esse, ut vix sperandum sit, unquam rei obscurae novam lucem allatum iri. Sed si universam odam spectas, haec rerum divisio videtur esse:

6 (*ἀρχ.*) + 2 (*κατ.*) + 29 (*ὀμφ.*) + 2 (*μετ.*) + 14 (*σφρ.*).

Ἀρχά et *σφραγίς* victores praedicant, *κατατροπά* et *μετακατατροπά* gentis laudem continent, fabula interposita Aeacidarum, auctorum gentis, res narrat.

De Schmidtio brevis ero, quum Rauchensteinius l. l. commenta ejus optime refutaverit. Satis sit sententiam illius breviter narrasse. Contemtis scholiis, quae diserte dicunt, Euthymenem Isthmicam victoriam reportasse, Schmidtius, qui, ut Bergkii verbis utar, prorsus incredibilia de hoc carmine in medium profert, censet, hanc odam intelligi non posse, nisi statuas, Euthymenem victoriam Isthmicam appetivisse quidem, sed non assecutum esse. Extremam carminis partem a versu 40 usque ad finem ejus consolandi causa additam esse. Quum enim carmen non in publico canendum fuerit, sed in aedibus victoris ipsis et angusto gentilium circulo, postulatum esse a poeta, ut clades illa ne silentio praeteriretur (!). Versari igitur summam carminis in eo, ut victoria clara voce canenda in unum conjungatur cum tristi clade. Id poetam ita efficere, ut eodem consilio, quod in carmine Olympico XI instituendo secutus sit, utatur. Illius vero carminis hoc simillimum esse multis numeris. Ut enim poeta ibi majori fabulae, quae res victoris parum tangat, minorem arctissime cum iis cohaerentem praemiserit, ita in hoc carmine fabulam de tribus Aeacidis a Pelei laude sejungendam esse. Illa enim tamquam exemplo poetam uti, ut doceat, quanta sibi ars sit et laetas res laeto lucis splendore illustrandi et obscuras atque tristes silentio tegendi. Profiteri igitur poetam v. 1—21, se satisfacere posse Lamponi postulanti, ut cladis Euthymenis mentio fiat, neque tamen Pytheae laudem angustioribus finibus includere cogi. Postquam supra ostendimus, quomodo prior fabulae pars cum posteriore cohaereat, non jam opus erit, haec fusius refellere. Non minus enim arbitraria haec interpretandi ratio est, quam in exponendo carmine Ol. XI adhibita. Nam ne ibi quidem duae fabulae sibi opponuntur; sed ut toto illo carmine docetur, sine summis laboribus victoriae praemium nemini contingere, imo ne Herculi quidem ipsi contigisse, Jovis filio, qui aegre et clade a Molionibus prius afflictus de Augea victoriam reportaverit, ita illa carminis parte, qua transitum facit ad umbilicum, poeta in laboribus describendis versatus ejusdem Herculis cum Cycno pugnae mentionem fecit. Schmidtius vero non poetae sententias exquirens, sed suis commentis magis delectatus, ut rem a carmine alienissimam, quam ipse excogitavit, aliqua veri specie indueret, verbis poetae misere luxatis et tortis illam primariae et secundariae fabulae rationem perperam poetae injungere conatus est. Idem in hoc carmine facit. Ut enim novum inventum defendat, ad aliud commentum provocat. En jucunda interpretandi ratio! Sed quum pleno ore contendat, extremam carminis partem hanc exordii interpretationem probare, jam opus erit ea audire, quae de

Euthymenis Pytheae Themistii victoriis profert, quamquam periculosum est ad defendendam rem dubiam adhibere locum, qui et ipse corruptus sit et emendatione egeat. Interpretatur vero locum illum difficillimum v. 42 sqq. ita: „Tu, Euthymenes, strinxisti carmina (*ἔψαυσας!*), quum in Aegina in complexum Victoriae irruisti. Sane, nunc quoque, quum in gentem illi deo cognatam (h. e. Corinthios) invasisti, consobrinus tuus tibi decori est. Pytheae enim Nemea favit et in patria ipsa is mensis, quem Apollo amat..... Scito, quum sortitus Menandrum sis, te laborum gratum praemium tulisse. Ubi vero ad Themistium veneris, desine trepidare, imo tolle vocem etc." Quibus verbis Schmidtius addit, poetam memorata tristissima clade duo solatia Euthymenis adjunxisse, quum et splendidam familiae sortem ei ostendat et eum admoneat, ipsum, quum in Aegina vicerit, non longe abesse a tali successu, qui carmine dignus sit. Ad haec Rauchensteinius optime respondit,*) primum *ὁμόσπορον ἔθνος* non cum *μεταΐξαντα*, sed cum *ἀγάλλει* conjungendum esse; deinde, quum omnibus Graecis aditus ad Isthmia patuerit, *ὁμόσπορον ἔθνος* non ad Corinthios solos referri posse, nedum, quum Euthymenes non cum toto Corinthiorum populo certaverit, ad singulos Corinthios pertineat; gen. *κείνου* porro non Neptunum, sed Peleum designare; denique absonum esse dicere Pytheam Nemeaea victoria ornatum Euthymeni victoria Isthmica orbato decori esse; imo eum dedecori et ignomiae illi fuisse. Deinde id quoque vir doctissimus recte monuit, Schmidtium vv. *ἔψαυσας ὕμνων* v. 41 prave interpretatum esse vertentem: *prope accessisti ad carmina;* nam in Aegineticis aliisque ludis et ipsis victores carminibus celebrari solitos esse. Quibus addo, ne verba *σὺν τύχᾳ Μενάνδρου* quidem eo sensu, quo Ol. 13, 115: *τύχαν τερπνῶν γλυκεῖαν* P. 2, 56 *σὺν τύχᾳ πότμου σοφίας* accipi posse, sed cum Ol. 8, 67. P. 8, 53. N. 4, 7 aliis esse comparanda. Est enim aliquid inter res et homines. Menandri auxilium aut institutio Euthymeni obtingere potuit, Menander ipse non potuit. Denique, ut disputationis finem faciam, quis est, qui credat, poetam ab Euthymene clade ignominiosa graviter afflicto postulavisse, ut non solum ex Pytheae victoria aliquid solatii caperet, sed ipse ad aedes Themistii consobrini accederet et clara voce ejus splendidas victorias laudibus efferret. Id quidem ludibrium crudelissimum fuisset. Multo melius Rauchensteinius locum difficillimum expedivit. Qui num v. 43 recte scribat: *ἦτοι μεταΐξαις σε καὶ νῦν τεὸς μάτρως ἀγάλλει κείνου ὁμόσπορον ἔθνος Πυθέας, ᾧ* (sive *τῷ*) *Νεμέα μὲν ἄραρεν* etc. in suspenso relinquo; quid ipse de hoc versu statuam, alio loco**) indicavi; quamquam confiteor, ea quae ibi proposui ipsi mihi non satisfacere. Sed utut hic versus restituendus est, certe Rauchensteinii explicatio non multum a Pindari sententia recedit. Exeuntis enim carminis versus ita fere explicat: Ex gente Psalychidarum tres adolescentuli victoriis laudem pepererant. Atque primam quidem victoriam Euthymenes in Aegina reportaverat, ubi Pytheas et ipse vicerat, Megarica insuper victoria ornatus. Sed omnium

*) l. l. p. 251.

**) progr. Cur. Regn. p. 7 sq.

splendidissima*) Themistii nepotis erat, qui Epidauri iisdem ludis et pugilatus et pancratii victor renuntiatus est. Huic Pytheas usque dum Nemeae redimiretur apio, cedere debebat et invidebat. Jam Pytheas consobrini gloriam obscuravit hac Nemeaea victoria. Quamobrem poeta laudes adolescentium ita instituit, ut commemorato Euthymene ad Pytheam transeat et, quum verisimile sit, pompam ad aedes Themistii communis avi substitisse, Themistii nepotis laudem Pytheae canendam tribuat, quippe qui ipse clarior factus non jam consanguineo debitum honorem inviderit. Cui viri doctissimi interpretationi quid addam, non habeo.

Haec sunt, quae Schmidtius de iis carminibus, quae ad primam Pindari aetatem pertinere certum est, in medium profert. Idem censet in carminibus J. III, I N. VIII, IV et ipsis adolescentiae vestigia patere. Sed num illa recte ad adolescentiam Pindari rejiciantur, adhuc in dubio est neque licet nobis fines hujus scripti amplius dilatare. Quare subsistamus, quippe quum, quantum vires suppeditabant, rem propositam confecerimus. Atque vidimus quidem, qua via et ratione Schmidtio contigerit, nova sua et usque adhuc inaudita de Pindari arte et carminibus conglutinare; vidimus, quam incerta sit ejus ratio in explicando poeta adhibita; vidimus, eum gravissima quaeque momenta, quibus tota ejus interpretatio nititur, plerumque non ex Pindaro, sed ex suo ipsius ingenio hausisse; vidimus, ne uni quidem omnium eorum carminum, quae vitiis adolescentiae laborare judicat iste criticus, propria quaedam inesse, quibus a ceteris carminibus differat; vidimus, et orationem et metrum et religiones et rei publicae administrandae praecepta et narrandi rationem eandem esse quam postea. Atque quum Schmidtius summam operam in compositione singulorum carminum vituperanda consumsisset, non praetermisimus, quin doceremes, qua lege compositionis poeta usus esset. Vidimus autem nusquam arbitrio, nusquam libidini locum relinqui, ubicunque certam legem conspici. Quae quum ita sint, neque ea quae Schmidtius de triplici illa aetatum divisione profert, ab omnibus fidem invenient neque singulorum carminum quamvis ingeniosa interpretatio omnibus probabitur. Imo non deerunt, qui Schmidtii exemplo et fortuna edocti redeant ad simplicitatem et diligentiam veterum interpretum libere et modeste profitentium, *aliquid ignorare fas esse.*

---

*) cf. v. Leutsch l. l. p. 370 et Krause Hellenica I. p. 542.